



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXVIII. De pœnitentiis, & remissionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

juri parere pertinaciter renuit, claves Ecclesiæ in suæ salutis dispendium, & plurimorum scandalum contemnendo. Licet igitur hujusmodi pertinacia non careat scrupulo hæreticæ & pravitate, volentes tamen nobilitati parcere Comitis supradicti, si forsitan ad cor revertens à suo respiscat errore: d. v. mandamus, quatenus si Comes prædictus à nobis diligenter commonitus infra quindecim dies post commonitionem nostram non paruerit plenè juri, vos excommunicationis sententiam latam in eum, sicut rationabiliter est prolata, facientes usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari, & totam terram ipsius, ac loca, in quibus idem Comes fuerit commoratus, supponentes ecclesiastico interdicto, ecclesias, in quibus aliquid juris habere dignoscitur, ab ejus debito, sublato cujuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo & absolventes, fideles ipsius, quandiu in excommunicatione persistit, ab ejusdem fidelitate denuntietis penitus & absolutos. Quod si forsitan nec sic tribuat ei vexatio intellectum, poterit non immeritò formidare, pertinacia obstinata eum in hæresis impingat infamiam, quam cum voluerit, fortè de facili non poterit evitare.

NOTÆ.

1. **a** *Suession.*) Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* ex qua restituo integram literam textus. De Suessionensi diocesi nonnulla adduxi *in cap. 2. de libelli oblat.*
- b** *Laudun.*) Ita legendum est, non *Lundenis*, ut vulgò legitur: de qua diocesi egi *in cap. 25. de rescriptis.*
- c** *Comas Registrensis.*) In sexta collectione legitur *Registrensis*. sed malè, cum Comitatus Registrensis fuisset olim in Gallia, ut probant Cironius *in presenti*, qui notat Honorium hic agere de Hugone III. qui successit patri suo Manassi anno 1197 & decessit anno 1229.
- d** *Hæreticæ pravitate.*) Quia per infordeſcentiam in excommunicatione per annum redditur excommunicatus suspectus de hæresi, ut probavi *in cap. excommunicamus, § quia, de hæreticis.*
- e** *Nobilitati.*) Facit textus *in l. nemo, Cod. de summa Trinit.* quod procedit in penis corporalibus, *cap. 1. de purgat. vulgar.* latè probat Tiracuellus *de penis temperand. causa 31. num. 25.* nam aliàs nobiles cum exemplo faciliè inferiores ad

peccandum moveant, gravius sunt puniendi, præcipuè in causis fidei, ut probant Simancas *de Catholicis, tit. 46. num. 65.* Eymericus *ad Pennam, 2. part. direct. in presenti.*

f *Absolutis.*) Et ita rectè probat Lotherius *de re beneficiaria lib. 3. quest. 33.* per infordeſcentiam in excommunicatione privari clericum beneficio jam obtento, dum talis infordeſcentia duret per triennium, juxta textum *in cap. cum bone 8. de arate & qualit.* ubi exposui doctrinam hanc.

g *Absolutos.* Quia non solum ob hæresim privatur quis fidelitate à vassallis sibi promissa, juxta traditam *in cap. final. de hæreticis*; verùm & ob suspicionem hæresis, ut de Philippo I. Rege Galliæ, qui ab Urbano II. in Claromontensi Concilio, & à Joanne & Benedicto Cardinalibus in Pictaviensi Synodo ob ductam Bertradam in uxorem excommunicatus fuit, & à fidelitate subditorum privatus. Qua de causâ Ivo Carnotensis Episcopus nunquam ei parere voluit, ut constat *ex epist. 26. 35. & 211.* & notavit Cironius *in presenti*, Magnus & Illustr. D. Ramos *pro Episc. Lusit. propos. 3. §. 2. num. 80.*

5.

6.

TITULUS XXXVIII.

De pœnitentiis, & remissionibus.

CAPUT PRIMUM.

Alexander ^a Papa.

Manifesta peccata non sunt occultâ correctione purganda.

NOTÆ.

- a** *Alexander.*) Ita legitur in sexta compilatione; in prima autem collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* legitur, *Calixtus Papa*: sed verba hujus textus in nulla epistola ipsorum Pontificum reperiuntur; extant tamen apud D. Gregorium Magnum *lib. 12. epistol. epist. 132.* ubi dum in *D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*

struit Felicem Episcopum Messanensem super variis articulis ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus, ait: *Manifesta quoque peccata non sunt occultâ correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperiâ ob- jurgatione sanantur, hi qui eos imitando delin- quent, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur: & melius est, ut pro*

Aaa 2 *multorum*

multorum salute unus condemnatur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum, si inter homines haec ratio custoditur, cum inter iumenta hoc fieri persape cognovimus, ut ea quae scabiem, aut impetiginem habere videntur, separantur à sanis, ne illorum morbo cetera damnentur, & pereant. Satius est ergo, ut mali aperte corrigantur, quam pro illis boni pereant. Quae verba etiam ex D. Ilidoro citantur in Concilio Aquilgran. sub Ludovico Imperatore, cap. 26.

COMMENTARIUM.

2. **EX** hoc textu sequens communiter deducitur **Conclusio** assertio: Pro peccatis manifestis publica est imponenda poenitentia. Probat eam textus in cap. si peccaverit 2. quest. 1. cap. finali 15. quest. 5. cap. si quis potestatem 23. quest. 4. cap. ego 42. de consecr. dist. 2. Trident. sess. 24. de reform. cap. 8. Concilium Rhemense 2. can. 31. Concil. Ingolhem. Si quis infra regnum rapinas fecerit, si publice fuerit actum, publicam agat poenitentiam juxta canonum sanctorum sanctiones: si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat poenitentiam. Arelat. 2. can. 26. Et qui publico crimine convicti sunt rei, publice judicentur. Carthag. can. 46. apud Balsam. Rabanus lib. 2. de instit. cleric. cap. 30. Quorum peccata sunt in publico, in publico debet esse poenitentia. Illustrant ultra congestos à Barbola Joannes à Capistrum in repet. ad hunc textum, P. Gregor. lib. 1. part. tit. 10. cap. 3. Covarr. lib. 2. var. cap. 10. Bellarm. tom. 2. controv. lib. 1. de poenit. cap. 21. & 22. Cellotius lib. 2. de hierarch. cap. 18. Joan. Dartis in Decret. ad 22. quest. 6. D. Joannes de Otalora Praes. Cancell. Granat. de irregul. ex poenitentia publica. excursu 1. num. 6.

3. **Impugnatur** tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in praesentem assertionem ita infurgo. Peccatorum correctio non ex eorum publica, seu occulta perpetratioe aestimanda est, sed potius ex eorum gravitate; nam improbatà stoicorum sententiã, qui existimabant omnia peccata paria esse, ut refert Cyprianus in epist. ad Antoniam, ibi: Alia est Philosophorum, & Stoicorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria esse, & virum gravem non facile scilicet oportere; inter Christianos, & Philosophos plurimum distat, & Ecclesia semper alia peccata leviora, alia graviora, alia exitiosa pronuntiavit. Tertullianus lib. de pudicitia, cap. 19. ibi: Sunt & contraria istis, ut graviora, & exitiosa, quae veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique & moechia, & fornicatio, & si quae alia. Unde pro eorum gravitate modò graviolem, modò leviolem poenitentiam injungi legimus in poenitent. Romano. Igitur delicti atrocitas, non verò notorietas attendi debet ad poenitentiam injungendam. Quare D. Basilus apud Simeonem Magistrum concione 8. de poenitentia, hortatur poenitentem, ut quae clam admisit, palam in verendum profiteatur. Tui, inquit, vult misereri iudex, suarumque te miserationum facere participem, modo te post peccatum humilem inveniat, dolore contritum, sceleratua multum deplorantem, quae clam admisisti palam in verendum profitentem, omnem à fratribus petentem, ut in paranda tibi medicina tecum simul laborent, invigilent. Et Gennadius Massiliensis de dogmatibus ecclesiasticis, cap. 53. Nam quem post baptismum mortalia crimina commissa premunt, horror prius publicam poenitentiam satis facere. Et ante illos Ori-

genes homil. 2. Proba, inquit, prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmitate, flere cum fletu; qui condolendi, & compatiendi noverit disciplinam, ita ut demum, si quid ille dixerit, facias, & sequaris; si intellexerit, & prevederit talem esse languorem, qui in conventu totius Ecclesiae debet exponi, & curari, ex quo sortasse & ceteri adficiari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc quidem deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. Et generaliter Hincmarus ait in Capitulis loco supra citato, ut qui peccatum criminale perpetravit, poenitentiam agat publicam. Et canones Niceni, Ancyrani, Laodice. & D. Basilii, Gregorii Nysseni, & poenitentiales Bedae, & Rabani Mauri de poenitentibus publicis spectant ad varia crimina, non habita ratione quod sint publica. Et è contrariò peccata venialia, etsi palam admittantur, nunquam per publicam poenitentiam fuisse expiata, probant Bagothius differt. 1. de poenitent. cap. 8. sect. 4. & sequenti, D. Joannes Otalora disto. excursu. numer. 7. Ergo non rectè in praesenti absolute docetur, peccata manifesta publicam poenitentiam esse corrigenda.

Qua dubitandi ratione non obstante vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quod cum in ipsum genus humanum pessima peccandi profuisset libido, inde omnis aetas ab adolescentia in malum prona est; adauxit enim natura vitium hominum prolapsa conditio: nam peccatum, quod communem lucem effugere verecundioribus illis saeculis curabat, publicis oculis se subjicere non erubescit. Hinc multiplex delictorum genus, quod à saculo movebitur, si natuta non perstrinxerit, disciplina persuaserit, censura non compresserit. Eam itaque adhibuit vindictis peccatis Ecclesia medelam, ut publica publicam corripere animadvertitione; & quae universam commovent civitatem, publica, & solennis poenitentia coërceret; ut ita ille, qui propriam conscientiam testem non horrebat, humanam saltem notam pertimesceret: observandum ergo, poenitentiam duplicem esse, aliam publicam, aliam privatam. Publica iterum dividitur in publicam solennem, & non solennem; privata item subdividitur, ut alia sit sacramentum, alia virtus tantum. Docuerunt Cellotius lib. 3. de hierarch. cap. 18. Roussel. lib. 1. hist. Pontific. jurisdict. cap. 6. num. 15. ad quas species reducenda sunt alia tradita per Turremcrematam in cap. si quis post remissionem, 50. dist. Suarium in tract. de poenitentia, princip. & de censur. disputat. 4. sect. 2. num. 3. Martinon. de poenit. in princip. Poenitentia publica tantum erat, quae publice fiebat, simplicibusque constabat ceremoniis, veluti peregrinatione cum baculo, & pera benedictis, aut cilicij aperta delatione, seu veste mutata, cap. quamvis, 50. dist. cap. sacerdos 2. de poenitent. dist. 6. ibi: Omnibus diebus vite suae peregrinandus pergat. Et l. 20. tit. 3. part. 1. Publica est llamada otra manera de poenitentia, que se face concexeramente. Esta es quando mandau à alguno, que vaya en romeria otrava consigo palo, cordal, o escapulario, o otra vestidura, comode orden, o que trayasierro cenido en el bracco, o en el cuello, o que an de desnudo, o en panno menores. Publica haec poenitentia imponebatur pro peccatis publicis, etsi non ea exitiosa essent, juxta praesentem

4. De tri. poenit. tenia.

De di. serent. iis si. urpa.

præsentem textum, & alios supra adductos: de qua pœnitentia agit Caballarius in not. Concil. fol. 91. ad Concil. Nicæn. Publica verò, & solennis pœnitentia severior erat, ideoque tantum imponebatur pro criminibus exitiosis, & quæ universum populum in scandalum adduxissent, veluti pro homicidio, pro Apostasia, & similibus, cap. placuit 68. vers. Cum verò, cap. final. 50. dist. cap. admonere 8. cap. latorem 15. 33. quæst. 2. cap. falsa 6. de pœnit. dist. 5. nec enim sufficiens erat horum criminum reis privata pœnitentia, sed opus erat hujusmodi delicta iudicio Ecclesiæ publicè subijcere, ut notavit Simancas de catholicis, tit. 46. n. 1. & per hanc pœnitentiam solennem reum humiliari; quamobrem humillima pœnitentia vocatur hæc à D. Augustino relato in cap. quamvis, 62. 50. dist. cap. quamvis 22. cap. in tantum 33. de pœnit. dist. 3. Severitas hujus pœnitentiæ, & amantudo consistebat in exercitiis acrioris pœnitentiæ, & transitu graduum, quorum amarissimos gressus referunt Patres Concilii Agathen. in cap. in capite, 50. dist. Alfonso noster in l. 18. tit. 3. part. 1. non enim solum vestem propriam, & arma deponebant, ciliciumque induebant, capite attonso, cap. pœnitentes. 63. ibi: Si autem comas non amputaverint, aut vestimenta non mutaverint, abiciantur: 50. dist. Concilium Toletanum 6. can. 7. Verum in diversis locis, modò extra Ecclesiam, modò prope Ecclesiam, inter audientes, hiemantes, catechumenos consistebant; quorum graduum tempus, exercitia, & ritus hujus pœnitentiæ, pro expositione textus in dist. cap. in capite, 50. dist. retulerunt Filescus in opusc. de Quadragesima, cap. 12. Lantdmeter libr. 2. de veteri clerico, cap. 93. Basilius in opusc. de imped. matrim. cap. 65. Loaylas in can. 6. Concil. Tolet. 6. Souchetus in not. ad Carnot. epist. 228. Acunna in dist. cap. in capite, Bellarm. lib. 1. de pœnit. cap. 22. Joannes Bassus de statib. hominum, 2. part. tit. de pœnitent. statu. Albaspineus lib. 2. obs. cap. 1. cum sequent. Dionysius Petavius in notis ad Synesum, in diatrib. de pœnit. Georgius Ambian, ad Tertul. in tract. de pudicitia, Corjolanus in notis ad Concilium Auxitanum, in addit. ad summam, fol. 94. Hugo Menardus in notis ad librum sacram. D. Gregorii, fol. 223. & 221. Gibalinus de clausura regul. disquis. 2. cap. 3. per tot. Cironius in parat. ad hunc tit. & lib. 1. observ. cap. 16. Menardus ad concord. regul. cap. 33. §. 1. Datis in tract. de pœnit. & ad 26. quæst. 6. D. Joan. de Otalora de pœnit. & nos in cap. 1. de bigam. Christ. Lupus in can. 11. Concil. Nicæn. Pœnitentia ut virtus, est actus plangendi præterita mala, cum proposito iterum non committendi, de qua in cap. ecce 39. de pœnit. dist. 1. & in cap. 1. cap. pœnitentiam 6. de pœnit. dist. 3. D. Thomas 3. part. quæstion. 84. art. 10. ad 4. Pœnitentia ut sacramentum est, cum signis externis ritè rectèque peccata sacerdoti consentitur, accedente ejus absolutione, de qua agunt omnes Moralistæ scribentes de hoc sacramento, Gazetus ad Cassianum collat. 20. cap. 5. Petrus Gregor. in cap. conquereute, cap. 12. num. 2. Filescus in opusculo de confessione auriculari, & non infra in cap. quod quidam, & in cap. omnis.

5. Deinde sciendum est, inter pœnitentiam solennem, publicam, & privatam nonnullas veritari differentias. Prima, quòd solennis tantum ob graviora peccata, quæ universum populum turbarent, imponebatur, cap. placuit, 68. 50. D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

dist. publica injungebatur pro peccatis graviori- niten- bus publicè admissis, ex quibus non ita grave tiam scandalum ortum fuerat, cap. de pœnitentibus 17. solennè de pœnit dist. 7. privata verò tantum pro peccatis clam admissis, quia qui occultè labitur, secreta debet correctione purgari, cap. quem pœnitet 88. de pœnitent. dist. 1. ibi: Et si peccatum occultum est sufficiat referre in notitiam sacerdotis. Et cap. si peccaverit 19. 2. quæst. 1. ibi: Quia enim secretum fuit quando in te peccavit, secretum quare cum corrigis quod in te peccavit, nam si solum nos si quia peccavit in te, & cum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Et cap. si quis 31. 23. quæst. 4. cap. final. 15. quæst. 5. Et si peccatum grave sit, cap. quæsitum 7. ibi: Non tamen publica (nisi in publicum id veniat) pœnitentia debet imponi. Faciunt textus in cap. christiana 23. 32. quæstione 5. ibi: Et non habent peccata latentia vindictam, Et B. Benedictus cap. 46. sua regule, ubi jubet apud patrem tantum spirituale occultum peccatum propalare, illis verbis: Si anima verò peccati causa latens fuerit, tantum Abbati, aut spiritalibus senioribus patefaciant, qui sciant curare, & sua, & aliena vulnera, & non detegere, aut publicare. Alia differentia in eo consistit, quòd pœnitentiam solennem tantum Episcopus injungere poterat, ut probavi in cap. accedentibus, de privil. publicam verò etiam simplex sacerdos imponere poterat, cap. ministerium 2. de offic. Archiepresb. l. 20. tit. 3. part. 1. Et est pœnitentia pœde da qualquier clerigo Missa cantano. Alia differentia etiam versatur in eo, quòd pœnitentia solennis semel tantum in vita peragi poterat, cap. si quis post remissionem 61. 50. dist. cap. quamvis 22. cap. in tantum 33. de pœnit. dist. 3. de qua pœnitentia exaudiendi sunt Cyrillus Alexandrinus lib. 15. in Levitic. ibi: In gravioribus criminibus semel pœnitentia conceditur locus. D. Ambrosius relatus in cap. reperiuntur 2. de pœnitentia dist. 3. ibi: Quia sicut unum baptisma, ita & unica pœnitentia. Ad publicam verò sæpius quis admittebatur, & etiam ad privatam. Cujus differentia rationem assignat Sotus in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 5. ad 3. Etiam alia differentia dabatur in eo, quòd sacerdotibus solemnis pœnitentia injungi non poterat, publica verò imponi valebat, ut probavi in cap. 1. de bigamis non ordin. Tandem & illud discrimen inter solennem, & publicam pœnitentiam agnoscitur, quòd publica omnibus læicis indistinctè imponi poterat; solennis verò conjugatis, nisi ex consensu conjugis, imponi non valebat, cap. final. 33. quæst. 4. Concil. Aurelian. 3. can. 19. latè illustravi in canonibus Concilii Il- liber.

His suppositis apparet ratio præsentis textus; ideo enim peccata publica publicè debent pœnitentia reparari, ut eo exemplo deterreantur, qui publicè peccare non erubescunt: quare D. Augustinus in enchirid. ad Laurentium, cap. 8. de his peccatis publicis agens, ait: Usque adeo, ut non solum occultanda, verum etiam predicanda, ac diffamanda peccata videantur. Quis est præcipuus finis pœnarum, videlicet ut ipsi rei emendentur, & alii exemplo terreantur, l. si quis fortè 6. §. si quis, l. si pœna 20. l. capitalium 28. §. penult. ff. de pœnis, l. sanctio 41. ff. cod. cap. frater, in fine 17. quæst. 4. cap. prodest. 23. quæstione 5. Faciunt Divus Augustinus homil. ult. cap. 2. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati

6. Traditur ratio decidendi.

Ecclesia videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere penitentiam non recuset. D. Chrysothomus eclog. de peccato, & confess. Illustrant Ritherursius ad Salvianum fol. 52. Rectè ergo in præsentia statuitur, manifesta peccata publicè esse correctione emendanda, ut ita populus, qui ob peccatum scandalum patiebatur, videat illud impunitum non manere; & in eo, in quo scandalum passus fuit, exemplum penitentia agnoscat.

7. Dissol-
vitur
dubitã-
diratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet atrocitas, seu gravitas delicti attendatur quoad penam injungendam; tamen quoad modum penitentia publicæ, seu privatæ tantum inspicitur scandalum, seu notorietas peccati. Unde primis Ecclesiæ saculis non tantum graviora peccata perpetrantes, verum & minora, si publica erant, penitentiam publicam peragebant. D. Cyprianus epist. 47. ibi: *In minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, penitentia agitur justo tempore, & exomologesis sit inspecta vitæ eius qui agit penitentiam, cum nec ad communionem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita. Quem locum latè expendit Pamelius ad Tertullianum lib. de penitent. cap. 9. nu. 53. Nec obstat, quod de peccatis venialibus dicebamus; nam ea semper Ecclesia, ut levia faciliè excutiebatur, & ita ob ea penitentiam publicam nunquam indicebat, ut probat Bagothus ut supra.*

8. Expo-
nitur
Concil.
Neocæ-
sar.
can. 4.

Ex supra traditis nonnulli exponunt textum in can. 4. Concil. Neocæsar. in illis verbis: *Si quis mulierem concupiscens proposuerit cum ea dormire & desiderium eius non pervenerit ad effectum, manifestum est, quod per gratiam fuerit liberatus. Qui textus valde difficilis est, nam si mens polluta fuit, quomodo gratia Dei liberatus dicitur? Cui difficultati solutionem affert Gibalinus de clausura re-*

*gul. disquisit. 2. cap. 4. §. 5. num. 21. ex supra traditis, videlicet, quod licet in hoc casu mortalis culpa adfuerit, tamen quia ea fuit interna, & non publica, penitentia publica non imponitur, immò & diversa pœna per sacros canones indicitur illi, qui peccatum mente concepit; ac illi, qui opere sequuto consummavit. D. Basilus ad Amphilocho. can. 70. ibi: *Diaconus, qui pollutus in labris, & se eo usque peccasse confessus est, à ministerio prohibetur: ut autem sit sacramentorum cum diaconis particeps, dignus habeatur. Si quis autem amplius peccasse deprehensus fuerit, in quocunque si gradu, deponetur. In cuius scholiis Balsamon explicat, quod sit Diaconum in labris pollutus. Itaque juxta Gibalinum ubi supra, textus ille accipiendus est de pœna mitiori imponenda illi, qui opere sequuto peccatum non consummavit. Observanda tamen sunt verba illa, gratia Dei liberatus, quæ innuunt peccatorem illum potius beneficio Dei, quam animi destinatione fuisse à peccato servatum: quod & prophani scriptores de fato, & vi Numinum usurparunt. Sic Plato lib. 9. de legibus, quo loco pœnam ejus, qui cum hominem vellet occidere, vulneraverit tantum, mitigandam hac ratione censet, quod dæmonis beneficio potius habenda sit gratia, qui & illum mortis periculo, & hunc imminentis supplicii gravitate liberavit. Sc Consultus in l. nihil 32. ff. ad leg. jul. de adult. ait: *Licet interempto adultero mulier supervixerit, post tam gravia vulnera, quæ ei pater insulerat, magis fato quam voluntate ejus servata est. Facit Quintilian. declamat. 281. ubi agens de filio, qui occurrens in solitudine patri, stricto gladio coëgit eum abdicationem remittere: Si discerem, ait, obstiti tibi vis numinum, & tacita quedam illius sollicitudinis religio. Observebant Fornerius lib. 6. ver. quorid. cap. 9. Justel. in dist. cap. 4. Concil. Neocæsar.***

CAPUT II.

Ex Concilio^a Maguntiensis.

Qui Presbyterum occidit, xij. annorum penitentia secundum canones imponatur: aut si negaverit, si liber est, cum lxxij. juret; si autem servus super^b duodecim vomeres ferventes se expurget: convictus noxâ usque ad ultimum tempus vitæ militiæ^c cingulo careat, & absque spe conjugii maneat.

NOTÆ.

1. a **M**aguntiensis.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub tit. de purgatione vulgari, cap. 2. & ex Synodo Moguntina sub Rabano Archiepiscopo, can. 24. citatur textus hic à Burchardo lib. 6. Decreti, cap. 7. Carnotensi part. 10. c. 136. & sub nomine Paleæ refertur textus hic à Gratiano in cap. qui presbyterum 24. 17. quest. 4. referturque in Penitentiali Romano, cap. 1.
2. b **Duodecim vomeres.**) Hæc verba omisit Raymondus, quia judicium hoc purgationis vulgaris jam prohibitum erat variis Ecclesiæ canonibus, ut probavi in cap. final. de purgat. vulgari.
3. c **Militiæ cingulo.**) Id est ut arma non deferant dum penitentiam solemnem faciunt, ut etiam cavetur in Concilio Vormatiensi, can. 20. ibi: *Si sacerdotem voluntariè occidisti, carnem non manduces, vinum non bibas, cunctis diebus vita tue jejunes quoridie usque ad vesperam, exceptis diebus fe-*

stis, & Dominicis; arma non feras, equum non ascendas, Ecclesiam per quinquennium non ingrediaris. Carnotensis epist. 160. Militi, qui monacho virginitatem ademerat, arma detracta, & annorum XIV. penitentia indicta. Idem cavetur lib. 3. Capit. c. 22. & lib. 6. c. 90. & 97. & ita quia consistentibus in penitentia solenni prohibitum erat arma deferre, atque uxorem ducere, ideo in præsentia occidenti presbyterum juberi cingulum militiæ deponere, & à conjugio se abstinere, docuerunt communiter repetentes hic, & Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 6. Gibalinus de censur. in synopsi, verbo Homicidium Carleval. de judicis to. 1. tit. 1. disp. 1. sect. 4. q. 6. Sed verius credo, majorem pœnam contineri in illis verbis, usque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulo careat; cum non tantum prohibeatur militiæ cingulum occidenti presbyterum per duodecim annos, per quos penitentiam peragere debebat, sed in perpetuum. Existimo ergo per illa verba, militiæ cingulo, non armorum delationem prohiberi, sed potius munera

munera Reipublicæ, seu sæcularia obire: militare enim sæpè pro negotio, curacioneque Reipublicæ usurpatur. & militiæ cingulum deponere, seu suscipere in sacris canonibus significat munera, officiaque Reipublicæ, seu sæcularia delerere, seu exercere. Concilium Nicænum *can. 12.* ibi: *Quicumque vocati per gratiam primum quidem ardorem, fidei suam ostenderunt, & cingulum militiæ deposuerunt, postea verò ut canes ad suum vomitum reversi sunt, ita ut aliqui & pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent.* Concil. Matifcon.

& Syricius *in epist. ad Tarraconenses Episcopos, can. 5.* ibi: *Aut negotiis Reipublicæ optaverunt militare.* Illustrat Albaspineus *in notis ad dict. can. 12. Synodi Nicæn.* Itaque in præsentī canone Patres presbyterum occidenti prohibent in perpetuum militiæ cingulo nomen dare: item prohibetur illi conjugem recipere; sed hoc impedimentum matrimonii jam consuetudine abrogatum est, ut docuerunt Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 17. num. 8.* Koninch *de Sacramentis disp. 30. num. 25.* Layman. *de imped. matrim. cap. 15.*

CAPVT III.

Alexander III. ^a *Mediolan. Archiepiscopo.*

Significavit nobis vir P. quod F. dicto Imperatori, cum olim rediret ab urbe, castrum Verrucæ negavit, &c. Unde contigit, quod quatuor castris destructis plusquam duo millia domorum destructa fuerint, & multi homines interfecti: alia etiam mala ibidem commissa dicuntur, quæ per singula esset longum enarrare. Quoniam igitur præfatus P. Deo exinde reconciliari desiderat, & pœnitentiam dignam suscipere, f. v. per A. f. m. quat. eidem super hoc consilium detis, & ipsi pœnitentiam, secundum quod visum fuerit, misericorditer imponatis, attendentes, quod pro libertate sua, & pro Ecclesiæ devotione fecit; quia in his talem debetis discretionem adhibere, ut alii, & ipse idem pro austeritate pœnitentiæ à servitio Ecclesiæ nullatenus retardentur, nec aliquod salutis periculum merito debeat formidare.

NOTÆ.

^a *Mediolanensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* sed additur in hac sexta collectione, *Et suffraganeis,* sed absque exemplari. De Mediolanensi Ecclesiâ nonnulla notavi *in cap. 27. de rescriptis.* Casus hujus textus ita contigit. Fridericus I. ex gente Sueva, sub Hadriano IV. inauguratus, dum Roma in Galliam Cisalpinam proficiscitur, in itinere vidit castrum Verrucæ, vel ut alii malunt, Verrucæ, quod paret Episcopo Vercellensi; & cum Imperator sibi castrum

illud postulasset, Petrus nobilis ejus custos, ac gubernator illud negavit: quare Imperator ob indignationem quatuor castra cum duobus millibus domorum multis occisis delevit: cui cladi causam se dedisse credens prædictus Nobilis, facti veniam petiit ab Alexandro III. qui jubet Archiepiscopo Mediolanensi, quatenus illi pœnitentiam cum misericordia imponat; quia cum in defensionem Ecclesiæ, & pro devotione Ecclesiæ Romanæ id fecisset, magna miseratione dignus erat: quam historiam refert Pancirola *libr. 2. var. cap. 293.*

CAPVT IV.

Idem. ^a *Cant. Archiepiscopo.*

Quod autem consulisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis profint, quam iis, qui remittentibus subsunt; hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum à non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prodesent, proprii iudices specialiter indulserunt: & in hoc eam intelligas quæstionem solutam, in qua quæritur, utrum is, qui excommunicato communicat, à suo Episcopo, vel excommunicati absolutionis gratiam debeat implorare.

NOTÆ.

^{2.} ^a *Cantuariensi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* ubi additur *pars capituli in eminenti;* unde cognoscitur, in præ-

senti referri partem textus *in cap. nos in eminenti 36. de appellat.* in eadem prima collectione. De Cantuariensi Metropoli nonnulla adduxi *in cap. 2. de rescriptis.* Textum hunc exponemus infra *in cap. penult.*

CAPVT V.

Alexander III. ^a *Belvacensi Episcopo.*

Quod quidam, sicut asseris, ad confessionem de criminibus conveniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt non posse abstinere: consultationi tuæ taliter respondemus, quod eorum confessionem accipere debes, & eis de criminibus confilium exhibere. Et licet non sit vera pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio, & crebris, & salutaribus monitis pœnitentia est inducenda.

NOTÆ.

1. ^a *Belvacensi.*) Ita legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1. De Ecclesia Belvacensi nonnulla adduxi in cap. 13. de foro competente.

COMMENTARIUM.

2. **D**ifficilis admodum est præsens Alexandri de cœsio, dum in ea docetur, admittendam esse pœnitentiam ejus, qui asserit se à peccato, quod confitetur, abstinere non posse, etiamsi vera talis pœnitentia non sit, cum certum omnino sit, ad pœnitentiam ut sacramentum desiderari dolorem de peccatis admittis, & propositum amplius non peccandi. Unde in cap. illo 9. de pœnit. dist. 3. juxta veram ejus literam, quam restituit Loaysa in notis ad D. Isidorum lib. 2. sent. tit. 3. ita legitur: *Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat; nam qui plangit peccatum, & iterum committit peccatum, est quasi quis lavet laterem crudum quem quanto magis abluerit, tanto amplius lutum faciet.* Unde perdifficile est, quomodo sit admittenda pœnitentia illius, qui fateretur abstinere se ab eo peccato, quod confitetur, non posse. Pro hujus textus expositione varia adduxerunt Theologi Moralitæ Gabriel in 4. dist. 17. quest. 1. art. 3. Paludanus ibidem, quest. 7. Sylvester verbo Confessor 4. quest. 2. ad finem Victoria de confessione, num. 163. Cano in relectione de pœnitentia, part. 5. in fine. Medina de confessione sine pœnitentia cordis facta, Fragofo 1. part. de regim. lib. 2. dist. 4. asserunt admitti similem pœnitentiam, seu confessionem, quia licet fru-

ctiosa non sit quoad gratiam, tamen sufficiens est, ut talis pœnitens adimpleat præceptum Ecclesiæ annuæ confessionis, & ut excusetur à pœnis impositis in cap. omnis hoc tit. Verùm hæc interpretatio fuit neri nequit, cum præsens textus sit Alexandri III. & textus in dist. cap. omnis, Concilii Lateran. celebrati sub Innocentio III. quare affirmari non potest, Alexandrum in præsentem præfuisse de obligatione annuæ confitendi peccata, Joannes Sanchez in select. dist. 10. num. 6. asserit pœnitentem absolvendum esse dum proponat se amplius non peccaturum, etiamsi deferere non possit occasionem peccandi: quem transcripsit Barbosa in præsentem. Sed his omnibus omissis dicendum est cum Julio Lavoro de Jubileo 2. part. cap. 14. numer. 76. Vivaldo in Candelabro, lib. 6. de attritione, num. 5. in præsentem textu agi de illis, qui cum accedunt ad pœnitentiam, asserunt se ob suam fragilitatem credere se abstinere non posse à peccato, sperare tamen se à Deo impetraturos auxilium, ut liberari valeant; qui licet non habeant perfectum dolorem cū proposito amplius non peccandi ex se, & ideo vera pœnitentia non videatur; tamen quia ex Dei misericordia confidunt se amplius in peccatum non fore lapsuros, ideo pœnitentia illis injungenda est; non enim desideratur in pœnitente, ut existimet se amplius non peccaturum, sed sufficit propositum non peccandi: nam hoc voluntatis est, illud intellectus. Nisi dicamus, in præsentem agi non de pœnitentia sacramentali, sed de salubri, in dicta ad promerendam Dei gratiam, ut ita qui peccata confitetur, possit se ab occasione peccandi abstinere: unde ait Alexander in præsentem, salubribus consiliis, & monitis esse similes pœnitentes adjuvandos.

CAPUT VI.

Idem ^a *Triburiensi Archiepiscopo.*

Licet tam veteris, quàm novi Testamenti pagina, Et infra: Si autem illi, qui aliquos dies in pane, & aqua ex injuncta sibi pœnitentia tenentur peragere, panem quo vescantur, non habent, leguminibus, aut piscibus, aut aliis ^b cibariis reficiantur, si necessitas id exposcat. Discretionem tamen adhibita, quod his non addelicias, sed ad sustentationem utantur.

NOTÆ.

1. ^a *Triburiensi.*) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub tit. de feriis, cap. licet, sed veram inscriptionem dedi in eodem textu in hac sexta collectione.
2. ^b *Cibariis.*) Hujus textus mentio fit in canoni-

bus pœnitentialibus, can. antepenult. ibi: *Insuper notandum est, quod si pœnitentia in pane & aqua imponatur non habenti panem, potest loco panis leguminibus, & pisciculis vesci, & etiam aliis sine necessitate illud requiratur. Extra de pœnit. & remis. Et autem textus hic intelligendus de cibis jejunantibus non veteris; sciendum enim est, pro tempore ipsius*

fius jejunii, hoc est abstinentiæ, nullum cibum sumere licere: immò primis florentis Ecclesiæ temporibus jejunantes non solum à cibo, & potu abstinuisse, verùm & virginem salivam servasse refert Tertul. *de jejunio* cap. 6. ibi: *Ipsa natura ennuñciavit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc saliva exhibere consuevit.* De potu celebris est locus Prudentii in *actis S. Fructuosi Martyris*: cum enim ei poculum frater offerrent, quo martyri recrearetur, immò & muniretur, recu-
favit dicens:

Jejunamus, inquit, recuso potum:

Non dum nona diem resolutis hora.

Et cum solvebatur jejunium horâ nonâ, pane, aut oleribus jejunantes utebantur, D. Clemens *lib. 5. confitit. Apostolic. cap. 17.* ibi: *Ita jejunandum ut solum pane utamini, & oleribus; vini autem potu, & carnibus abstinete.* Quod de ægotantibus refert D. Hieronymus ad *Eustochium*. ibi: *De cibus, & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur.* Illustrant Ambian. ad Tertul. *de jejunio*, cap. 10. *observ. 4.* Filescus in *opus. de Quadragesima*, cap. 18. Illud autem hodie apud omnes observatur, ut jejuniânes velci non possint carnibus, & omnibus iis, quæ ab ea originem trahunt, cap. *de esu carnis. de consecr. dist. 3. cap. denique 4. dist. can. 56. Synodi 6.* ibi: *Similiter accepimus, & in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbathis & Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova, & caseum comedere.* Vñ est etiam, ut omnis Dei Ecclesiæ, quæ est in universo terrarum orbe, unicum ordinem sequens, jejunium persiciat, & abstinereat, sicut omni inæclabili, sic ab ovis, & caseo, quæ sunt fructus, & fœtus eorum, à quibus abstinemus: si autem hoc non servaverint, si sunt quidem clerici, deponantur; si autem laici, segregentur. Tolet. 8. *can. 9.* Gerundense *can. 3.* Mediolan. sub Carolo, *tit. de jejun. Trident. sess. 25. cap. 21.* Illustrant Bellarminus *de jejun. cap. 4.* Lessius *de iust. lib. 4. cap. 2. dub. 5.* Virgin. *de jejun. lib. 3. cap. 5.* Fagundez in *4. præ-*

cept. Eccl. lib. 1. cap. 2. Trullench in *bullas lib. 1. §. 4.* Ecclesiæ enim cibus ita delicatis, & lautis abstinere jussit, ut carnis lascivia frenaretur. Concil. Senon. sub Clement. VII. *art. 7.* non quia similes cibos condemneret, ut Saturninus, & alii hæretici voluerunt, quos sequuti fuerunt Manichæi, Priscillianistæ, Marcionistæ, & alii condemnati in *can. 50. Apost. Concil. Ancyr. can. 13.* Bracharenfi 1. *can. 13. & 32.* Gangrenfi *can. 2.* Tolet. 1. in *assert. fidei*: notantur Turtianus *pro epist. Pontificum* cap. 6. Baronius *anno 57. num. 188.* Severinus Binius in *Concil. Gangr. Savarus ad Sidonium lib. 4. epist. 9.*

Hinc exponendus venit textus in *can. 50. Synodi Laodicæ* relatus in *cap. non oportet 8. de consecr. dist. 3.* in illis verbis: *Non oportet in Quadragesima quinta feriâ ultimæ hebdomadæ jejunium dissolvere, & totam Quadragesimam inhonorare; sed per totos hos dies jejunare, & eas abstinentiæ convenientibus, de quibus aridioribus uti.* Vel ut in Concilio legitur: *Oportet totam Quadragesimam jejunare xerophagiâ nentes.* Supponendum enim est, Græcos tantum siccis cibis, id est pane, & leguminibus siccis, seu coctis pomis, aut oleribus crudis, jejunantes uti, ut probat Balsamon in *can. 69. Apost. & in can. 14. Concil. Ancyr.* quod genus cibi Xerophagias appellabant. Cassianus *lib. 4. collat. 22.* id est faciles cibos, ut explicat Filescus *de Quadrages. cap. 8.* Immò & in Ecclesiâ Latina jejunantes etiam siccis cibis uti solent, refert Tertul. *de jejunio* cap. 9. ibi: *Inspiciamus autem xerophagiarum novitatem, aut vanitatem.* Et *cap. 1.* ibi: *Jejunantes cibum ab omni carne, & omni injumentis, & vividioribus quibuscunque pomis, ne quid vinositatis veledamus, vel potemus.* Constat ex variis auctoritatibus congestis à Burchardo *lib. 17. 19. & 20. Decreti.* Carnotensi *part. 15. c. 198.* Unde rectè Patres in dicto canone 50. juxta morem regionis Orientalis, & sanctitatem illorum temporum statuerunt, jejunantes xerophagiis, id est cibus aridioribus uti posse.

CAPUT VII.

a Clemens III.

Quæsitum est à nobis, utrum sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet uti, & pœnitentia publica sit imponenda, si eam sibi postulent pro filiis oppressis injungi. Huic igitur consultationi taliter respondemus, quod si ipsis procurantibus, vel studiosè negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppressi, ob officio altaris debeant perpetuò abstinere; & gravior, quàm laicis, non tamen publica, nisi id in publicum venerit, pœnitentia debet imponi: qui tamen non solum à sacrorum ordinum executione cessabunt, verum etiam si sint infra ipsos, ad eos minimè assumantur. Verum etiam si ex incuria ipsorum mortui inveniantur in cunis, & illud fuerit occultum, pœnitentia eis pro arbitrio Pœnitentiarii imponatur, & in terrorem aliorum ad tempus abstinere à celebratione Missarum.

NOTÆ.

1. a Clemens III.) Ita legitur in hac sexta collectione: in secunda autem legitur, *Alexander III.* Sed verius credo textum esse Clementis III. etsi nullibi exprimitur, cui referat ipse Pontifex.
- b Matrimonio.) Juxta tradita in *cap. cum olim, de clericis conjug.*
- c Pœnitentia publica.) licet enim clericis non possit solennis pœnitentia injungi, ut probavi in

cap. 1. de bigam. non ordin. tamen pœnitentia publica illis injungi valet, dummodo prius deponantur, ut ita ad statum laicalem redacti, vel in monasterium detudi, vel pœnitentiæ mancipari possint. Concil. Tolet. 4. *can. 46.* ibi: *Si quis clericus in demerendis sepulchris fuerit deprehensus, qui a facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis vindicatur, oportet canonibus in tali scelere produrum clericatus ordine submoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.* Quem illustrat Suarez à Mendoza *lib. 2. ad leg. Aquil. cap. 2. sect. 6. num. 22. & lib. 5. capitular. Caroli*

roli, cap. 2. ibi: *Falsos verò presbyteros vel adulteros, vel fornicatores, diaconos, & clericos de peniis Ecclesiarum abstulimus, & degradavimus, & ad penitentiam coegimus.* Probant, & illustrent *Hollensis in summa huius tituli, num. 55. Lantmeter lib. 2. de veteri clerico, cap. 93. Majolus lib. 3. de irregul. cap. 2. num. 6. Cironius ad hunc tit. Mendoza lib. 3. Concil. Illiber. cap. 76. Nec contrarium probatur in cap. final. 30. dist. cap. final. 80. dist. cap. alienum, 50. dist. cap. si quis sacerdos 30. quæst. 1.*

cap. sacerdos 2. de penit. dist. 6. ubi docetur sacerdotes non debere publicè penitere, sicut laici; nam publica penitentia, de qua in illis iuribus agitur, accipitur pro solenni, non verò pro publica, ut post alios docuit D. Joannes Orator de irregul. ex penit. publica, excursu 4. num. 8.

d. Oppressis.) Quo casu parentibus penitentia imponitur in Concil. Tolet. 3. can. 17. Wormac. can. 35. Illerenti can. 2. & Tribur. cuius verba retuli in cap. 3. de his, qui filoccid.

CAPUT VIII.

Idem a Livon. Episcopo, & eis, qui cum ipso sunt, fratribus.

DEus, qui Ecclesiam suam. *Et infra:* Ceterum cum penitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam penitentis contritionem, & discreti sacerdotis sit arbitrium moderanda, pensatâ qualitate personæ super fornicatione, adulterio, homicidio, & aliis criminibus, consideratis b circumstantiis omnibus, & præsertim novitate Livonien. Ecclesiæ, competentem penitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire. Apostoli autem vestigis inhaerentes, dicentis, ut prædiximus: Lac dedi vobis potum, non escam; paulatim eos instruat in fide, confessionis formam, c Orationem Dominicam, & Symbolum ipsos sollicitè edocentes. Interim tamen corporis & sanguinis Domini sacramentum d renatus fonte baptismatis, consuetis e festivitibus, & in mortis articulo tribuat.

NOTÆ.

I.

I *Joanien. s.)* Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. & in cap. Deus, de vita & honestate cleric. ubi extat prior pars huius textus ut jam notavi.

2.

b *Circumstantiis.)* Consonant textus in cap. consideret, de penit. dist. 5. cap. omnis, hoc tit. Concil. Trullan. can. 102. Trident. sess. 14. cap. 5. Wormac. sub Hadriano II. can. 25. Et licet circumstantias aliter accipiant Rhetores, eas enumerantes quasi sedes, & causas, quibus argumenta deprobant; aliter tamen eas accipiunt Consulti, qui eas considerant ad dignoscendum ex illis malitiam, aut bonitatem humanorum actuum, s. aut facta 16. & per tot ff. de penit. extat in cap. aut facta 19. de penit. dist. 1. notant Decianus lib. 9. tract. crimin. cap. 34. num. 4. & Theologi cum D. Thoma in 4. dist. 16. & in 1. 2. quæst. 7. ubi Vasquez 1. tom. disput. 1. cap. 1. num. 3. docet ex circumstantiis humanorum actuum malitiam, aut bonitatem augeri, vel diminui: nam circumstantia est actus humanus, qui illum circumstat, quasi extrinsecus contingens extra substantiam actus. Sayrus in clavi Regia lib. 2. cap. 3. n. 1. ac per consequens peccati circumstantia erit quodam accidens ipsius peccati, non autem substantiæ illius simpliciter consideratæ. Et quamvis aliquando evenire possit, ut circumstantia in casu augeat malitiam actionis, ut hæc non esset mala, nisi propter circumstantiam, qualis est duplicatus esus, sed alioquin moderatus, in die jejunii, vel acceptus ad fortius hominem occidendum, Fagundes ad 2. Eccles. præcep. lib. 1. cap. 1. num. 1. aliquando tamen etiam efficere potest circumstantia, ut mutetur species peccati. Trident. sess. 14. cap. 5. quo casu non mutatur essentialiter species peccati; non enim circumstantia mutat physicam substantiam actus in genere naturæ, sed accidentaliter in genere moris, Vasquez ubi supra, num. 2. Layman tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 2. Aravio in 1. 2.

quæst. 18. art. 3. quæ humanorum actuum circumstantiæ, ex quibus augeri, minuive potest peccatum, vel illi nova species addi, proveniunt, & considerari solent, aut respectu ipsius actionis, aut respectu agentis principalis, aut ratione loci, aut ratione instrumenti, hoc est quibus auxiliis quis fecerit; aut ratione causæ finalis, idest cur fecerit, aut denique ratione temporis, ut satis colligitur ex cap. occidit 23. quæst. 3. quas omnes comprehendunt Theologi Moralistæ sequenti versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quas dictiones sigillatim explicant Theologi in 4. dist. 16. & 17. & Moralistæ de penitentia scribentes.

c *Orationem Dominicam.)* Unde olim catechumenis feria 2. hebdomadæ sanctæ oratio Dominica illis exponebatur, ut ipsi eam discerent, & recitarent in Sabbatho Paschæ. Fortunatus lib. 1. de eccles. offic. cap. 8. ibi: *Eadem die percipiunt Orationem Dominicam, & Symbolum ad reddendum in Sabbatho sancto Paschæ.* D. Augustinus homil. 42. ibi: *Ad octo autem dies ab hodierno die reddunt vestis hanc orationem quam hodie accepistis.* Albin. Flaccus lib. 1. de divin. officiis, cap. de Sabbatho sancto Paschæ, adiciens hoc a sancto Gregorio institutum fuisse, ait: *Post hæc ponit manus super capita eorum, & dicit orationem ad catechumenum faciendum: hic juxta sanctum Gregorium reddunt Symbolum, aut Orationem Dominicam, aut patroni proprii.* Illustrat Vicecomes lib. 3. de ritibus Baptismi, lib. 3. cap. 16.

d *Renatus.)* Olim etiam baptizati, tam adulti, quam infantes, statim post baptismum Eucharistiam accipiebant D. Clemens lib. 1. constit. Apost. epist. 3. ibi: *Baptizetur autem unusquisque in aquis perennibus nomine trinae beatitudinis super se invocato per unctus primò oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hæc consecratus possit per capere de sanctis.* Ubi per sanctum intelligi Eucharistiam probat

probat Vicecomes lib. 5. de ritibus Baptismi, cap. 34. & expressius D. Dionysius de ecclesiast. hierarch. cap. de baptismo, ibi: Ducunt ad hierarcham: is cum virum unguento quod maxime divinos efficit, insignivit, Eucharistiæq. vim maximam habet perfectiende, sanctitatis participem esse pronunciat. Severus Alexandrinus de baptismo, ibi: Elevant baptizatos ad altare, eisque dant Mysteria, Eucharistiam, & fertis coronat eos sacerdos. Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. cap. 20. ibi: Exinde datur baptizato ve-

stis candi lasad ultimum datur cereus ardens: omnibus iis novus homo in utero matris Ecclesia inchoatur, provehitur, consummatur, & universitati Ecclesie aggregatur. Illustrant Vicecomes d. c. 24. c. duob. sequentibus, Briffonius in l. die Dominico, C. de spectac. e Festivitatibus. Videlicet in tribus festivitatibus Paschalibus, & feria 5. Cœnæ Domini, cap. si non frequentius, cap. in corona, de consec. dist. 2. Concil. Aquisgran. can. 22. Illustrat Mendoza lib. 1. Concil. Illiber. cap. 6. ubi etiam id notavi.

CAPVT IX.

Idem E. tit. sancti Laurent. in Lucina presbytero ^a Card. Ap. Sed. Legato.

Officij: Et infra: Significasti nobis præterea, quandam mulierem in pœnitentiâ fuisse confessam, quod timens, ne viri possessio devolveretur ad alios, inducta cujusdam consilio veneficæ mulieris, quarundam herbarum quotidie succum portabat, & sic ejus venter intumuit, & inde gravidam se ostendens, tandem sibi partum supposuit alienum; timensque maritum, non vult illud facinus ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione qualibet esse suam. Quoniam igitur per nostras postulas literas edoceri, utrum ei hac fraude durante sit pœnitentiâ injungenda? inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentiâ deneganda; ita neque illi debet pœnitentiâ denegari, maxime si per alios, intelligas ^b alienos, ad quos timeat possessionem viri devolvi; sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi.

NOTÆ.

- ^a Cardinali.] Ita etiam legitur in cap. 2. hoc tit. in 3. collect. & in cap. officij, de elect. cap. officij de testam. ubi extant aliæ partes hujus decretalis, ubi jam notavi.
- ^b Alienos.] Ut alienus pro alio in l. 3. de rei vindic. & alius pro alieno in l. famosis 7. ff. ad leg. Jul. majest. ex D. Augustino, & Plauto illustravit Cujacius lib. 22. Digest. Jul. in l. 5. ff. de novi oper. nunc.

cap. 18. quest. 4. ideo mulier, quæ partum supposuit, aut ex adulterio filium procreavit, non tenetur marito id revelare cum aperto periculo vitæ, & jactura honoris, ut probant Covar. in regula peccatum, 1. par. de R. I. in 6. Sylvester in summa, verbo Adulterium, quest. 31. Sotus de iustitia lib. 4. quest. 7. art. 2. Balboa in cap. 1. de except. num. 41. Fornerius lib. 6. rer. quotid. cap. 16. Diana part. 11. tract. 2. resol. 33. & tract. 6. resol. 5. qui varios casus forenses, & quotidianos resolvit, etsi dissentiat Mancinus lib. 2. genial. cap. 116. Unde rectè decrevit Innocent. III. in præfenti audiendam esse confessionem illius mulieris, quæ partum supposuit, vel adulterium perpetravit, & non vult id detegere marito, etsi agnoscat partum suppositum, vel filium adulterinum ad ejus hæreditatem vocari.

COMMENTARIUM.

- ² Cum nemo teneatur se prodere cum vitæ aut famæ jactura, & detrimento, ut probant Gihalinus de censur. disquisit. 2. q. 5. confect. 6. Bronchorst cent. 2. assert. 60. Prado tom. 2. Theolog. Mor.

CAPUT X.

Idem ^a Palentin. & ^b Burgen. Episcopis, & Abbati de Morismundo Cisterciens. Ordinis.

NOva quædam nuper, de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata, quod Abbatissæ videlicet in Burgen. & Palentin. diocæsis constitutæ moniales proprias ^c benedicunt, ipsarumque ^d confessiones criminalium audiunt, & legentes Evangelium præsumunt publicè prædicare. Cum igitur id absonum sit pariter, & absurdum, nec à nobis aliquatenus sustinendum: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ne id de cætero fiat, auctoritate curetis Apostolica firmiter inhibere. Quia licet Beatissima Virgo ^e Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cælorum commisit. Datum Later. idibus Decembris, anno XIII.

NOTÆ.

- I. ^a **Palentin.**] Ita restituenda est inscriptio cum litera hujus textus ex ipsis epistolis Innocentij III. editis à Boschetto *lib. 1. registr. 13. epistol. 287.* cum valde corrupta sit tam in hac sexta, quam in quarta collectione: nec feliciter Bosquetus in *notis ad epistol. 184.* motus ex eo, quod Abbatia Morismundi est in Lombardia, nec aliqua hujus nominis reperitur in diocesis Burgensi, & Palentina, credit legendum esse *Palentin. & Brixian. Episcopis, & Abbati de Arnide Cisterciensis Ordinis.* Nam præterquam quod litera textus repugnat talis inscriptio, siquidem in eo expressè agitur de monasteriis Burgensis, & Palentinae diocesis, in dicto Registro epistolarum extat inscriptio prout in præfenti transcribitur, quam & tueri, ac defendit Manrique *tom. 3. annal. Cisterc. anno 1210.* Nec interest, quod Abbatia Morismundensis, de qua egi in *cap. cum veteri, 52. de elect.* non sit in his partibus Castellæ; quare credit Bosquetus, non posse præsentem epistolam dirigi Episcopis Palentino, & Burgensi, simulque Abbati Morismundi. Nam sciendum est, Guidoneam Abbatem Morismundi profectum fuisse in Hispaniam anno 1210. ut refert idem Manrique *tom. 1. annal. Cisterc. in serie Abbatum Morismundi, num. 17.* Vnde cum in Hispania reperitur, potuit Innocentius III. illi cum aliis Prælati committere præfentis causæ cognitionem. De Palentina, & Burgensi diocesis jam nonnulla adduxi in *capite Coram, de in integr. restit.*
2. ^b **Burgensi.**] Textum hunc refert Manrique *dict. anno 1210. cap. 5. num. 10.* ad Regale Monasterium Guldenæ, quod Alfonso VIII. seu IX. Rex Castellæ cognominatus *el Bueno*, construxit ad Huelgas prope Burgos anno 1187. vulgò dictum, *las Guelgas de Burgos*: ex structura, doctæ, majestate, & imperio percelebre, veluti in ostensionem potentæ Regiæ constructum, præest aliis XII. monasteriis sanctimonialium in diversis Hispaniæ partibus constructis, de quibus forsitan in præfenti agit Innoc. Nec tantum præest ejus Abbatissa monialibus ipsis, verum & regularibus conversis, hospitalariis, & cappellanis, in quibus supra omnem Ecclesiæ morem jurisdictionem in collatione beneficiorum, approbatione confessoriorum, & similibus juribus exercet, ut doctè & fuse probat amicus noster F. Michaël de Fuentes Academiæ nostræ perdoctus Cathedralis vespertinæ Moderator, in *discursu Theolog. morali pro defensione jurisdictionis quasi Episcopalis Abbatissæ hujus monasterij.*
3. ^c **Benedicunt.**] Quod alienum est à sexu femineo, & prohibitum ab Ecclesiæ Patribus; nam Eutychianus Pontifex, ut refert Gratianus in *cap. statimus 3. 20. quest. 2.* Abbatissas viduas, vel virgines velare præsumentes canonicis judicio subicit: quod iisdem ferè verbis statuitur in Concilio Parisiensi sub Ludovico, & Lothario *lib. 1. cap. 43.* ibi: *Invenimus, quod quedam Abbatissa, & cetera sanctimonialia, non solum viduas, sed etiam virgines puellas velare solite sint. Quod quantum sexui femineo illicitum, & à religione sit alienum, omnis, qui sanum sapit, facile advertit.* Concil. Aquilgran. *cap. 76.* Carolus Magnus *lib. 1. leg. Franc. cap. 16.* ibi: *Auditum est, aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione, & signaculo S. Crucis super capite virorum dare, nec non & velare virgines cum be-*

nedictione Sacerdotali; quod omnino vos sanctissimi Patres in vestris parochiis interdicendum esse sciote. Ratio est, quia Ecclesiæ non admittit sexum sequiorem à ulla functione publicam manantem à potestate clavium, cujusmodi est facultas publicè benedicendi, Tamburinus *de jure Abbatiss. disp. 3. 2. quest. 11.* Quomodo ergo mulieri concederet Ecclesiæ, quam publicè ne loqui quidem admittit; itaque Clemens Rom. Pont. *lib. 8. constit. cap. 28.* benedictionem, de qua agimus; negat diaconis; benedictionem tamen privatam, nec nisi à bene precantis mulieris orationibus nitam, non est cur negatam velimus Abbatissæ respectu suarum monialium; sive sanctæ crucis alicui feminae respectu personarum non sacrarum, aut altarum rerum; sic etiam S. Monegundis apud Gregor. Turon. in *vitis Patrum, cap. 19.* oleum, & litem benedixit ad usum ægorum post suum obitum, S. Genovefa, oleum benedixit, quo surdum, & claudum, & cæcum à nativitate liberatos in commodis præstitit, S. Hildegardis, & S. Lioba, hæc varios ægros, illa epilepticum adhibita consignatione sanos effecerunt. Refert Theophilus Raynaud. *tom. 16. in Heteroel. spirit. part. 2. fol. 219. punct. 2.*

d **Confessione.**] Hoc prorsus in auditum est in 4. Ecclesiæ, cum hoc ad officium presbyterorum spectet, immò, ut ait Epiphanius *lib. 3. adversus hæreses, hæres. 79 num. 2.* nunquam ex quo mundus conditus est, mulier functa fuit sacerdotio, *Mulier in administratione gratiæ Dei non habet locum*: scribit creditus Ambrosius in *cap. 16. D. Paul. ad Rom. D. Ildorus lib. 2. de officiis, cap. 17.* ibi: *In gradibus, vel officiis ecclesiasticis feminis nulla munia præscribuntur; namque non permittitur eis in Ecclesiæ loqui, vel docere sed nec tingere, nec offerre. Tertul. de velandis virginibus cap. 9.* immò ratione sexus incapax omnino sacre ordinationis totumna est, ut probant latè Hallerius *de sacris elect. 2. part. sect. 4. §. 2. & de hierarch. eccles. fol. 161.* Barboia *de potest. Episcopi alleg. 10.* Cælar *de Eccles. Hierarch. disp. 8. §. 2.* licet in diaconis plerumque cooperari, & eligi nonnunquam legamus in veteribus Ecclesiæ canonibus, de quibus accipiendus est textus in canone 48. Synodi 6. illis verbis: *Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communis viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi providentia fructur, sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur.* Licet aliquando error ille in mentes illius sexus irrepserit, ut Abbatissæ subditarum monialium audiendi confessiones licentiam ab Episcopo peterent, ut refert Balsamon in *responsis ad interrogat. 34.* ubi respondet, quod cum Abbas non factus, id est ordinatus, quantumlibet id jubeat, & permittat Episcopus, audire non possit; multò minus audit Abbatissa.

e **Virgo Maria.**] B. Epiphanius *lib. 3. hæres. 79.* quæ est Collyridianorum, eodem utitur argumento, disputans in novum mulierularum inventum, quæ Deiparam Virginem adorabant, solenni ritu panem in eius nomen offerentes, nullam unquam mulierem sacerdotale officium exercuisse rectè probans, ait: *Si mulieribus præceptum esset sacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Ecclesiæ, oportebat magis Mariam ipsam sacrificium perficere in novo Testamento, qua digna facta est suscipere in propriis finibus universorum Regem Deum.*

Deum celestem filium Dei cuius uterus templum factum est, ac in domicilium ad Domini in carne dispensationem per Dei benignitatem, & admirandam mysterium preparatus est. At non complacuit, sed nec baptismum dare conceditum est, alioqui potuisset Christus ab ipsa baptizari potius quam à Ioanne. Unde omnia sacra munera, quæ ordinem sacramentalem supponunt, profusè invalidè à muliere obiri probat Theophilus tom. 12. de sobria frequent. mul. fol. 297. itaque Gnosticos exposcit sanctus Irenæus lib. 1. c. 9. quòd ad feminas potestatem conficiendæ divinæ Eucharistiæ diffunderent. Id quod Pepuciani quoque se-

cerunt, & Lutherus ut erat mulierosus, renovare tentavit, referente ac reiiciente Alphonso à Castro adversus hereses verbo mulier: quæ incapacitas non oritur aliunde, quam ex divina institutione. Quare merito Theophilus ubi supra, reprehendit Franciscum Georgium tom. 4. problem. 450 qui inde eam incapacitatem derivare vult, quòd mulier careat ea portione divinitatis, quæ in viro reperitur; secundum quam portionem vir expressam Dei gerit imaginem, mulier non item.

Quæ ad præsens commentarium spectant, petenda sunt ex traditis in c. dilecta, de major. & obed.

CAPUT XI.

a Idem.

Quod in te. Et infra: Verum quoniam à quibusdam intelleximus dubitari, utrum clericis, & laicis dandum sit viaticum in extremis, & inunctio imponenda, & cum aliis sacramentis indulgenda sit decedentibus sepultura? Utrum etiam in conventualibus Ecclesiis demissa voce, januis clausis, interdictis exclusis, divina possint officia celebrari? Similiter an suscipientibus signum Crucis & Sanctorum limina visitantibus, sit poenitentia injungenda? Ambiguitatem huiusmodi de dubitantium cordibus volumus amputare. In illo enim verbo, per quod poenitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè poenitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum etiam decedentibus denegetur. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam ecclesiastica sepultura; concedimus tamen ex gratia, ut clerici decedentes, qui tamen servaverunt interdictum, in cæmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur; & in conventualibus Ecclesiis bini, & bini, vel simul tres horas canonicas valeant legere potius, quam cantare, januis clausis, interdictis exclusis, & voce ita demissa, quod exterius non possint audiri: cum & regularibus secundum privilegium Sedis Apostolicæ sit indultum, ut cum generale interdictum terra fuerit, liceat eis januis clausis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce celebrare divina. Recipientibus autem signum crucis non negamus, quominus cum eis ob reverentiam Crucifixi poenitentia, cum postulaverint, injungatur. Quod & aliis peregrinis potest misericorditer indulgeri.

NOTÆ.

- I. ^a Idem.] Ita etiam legitur in quarta collectio-
ne sub hoc tit. cap. 5. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Innocentius, nec inter ejus epistolæ editas à Sirleto, & Bosqueto reperitur textus hic.

COMMENTARIUM.

2. DE origine, & progressu interdicti ecclesiastici egi in cap. cum inter, de consuet. de divisione verò, & personis à quibus proferri potest hæc censura, ac de causis, ob quas imponi potest, egi in cap. quasi vult 2. de his que sunt à majori. Quare in præsentem tantum de effectibus hujus censure agendum est, pro expositione præsentis textus, & aliorum, qui nisi servata temporum serie referantur, profusè contrarij videntur. Et sciendum est, olim tempore interdicti omnia sacramenta conferri prohiberi, exceptis baptismo, & morientium poenitentia, ut refert Oldericus monachus in Concilio Bituricensi. Quæ prohibitio duravit usque ad Alex. III. ut constat ex c. non est vobis, de sponsal. Sed sequentibus annis hujus censure effectus valde remissi fuerunt: siquidem Innocentius III. hujus textus author permisit sacramentum Confirmationis etiam

D. D. Gonzal in Decretal. Tom. V.

tempore interdicti administrare, c. responsio, de sent. excom. ex quo deducunt Doctores, solenniter posse hoc sacramentum conferri tempore interdicti. Circa ministrantem verò, & ipsum recipientem communiter distinguunt, ita ut si sint specialiter, & personaliter interdicti, non possint nec conferre, nec illud recipere; secus verò si generaliter, aut localiter interdicti sint. Etiam permisit Episcopis semel in anno in Ecclesia interdicta celebrare, cap. quia nonnulli, de privil. quod etiam privilegio concessum fuerat Templariis in cap. cum & plantare, §. quod si, de privil. Etiam permisit semel in hebdomada prædicare, dict. c. responsio. Præterea concessit in præsentem textu clericis interdictum servantibus, ut possint sepeliri in cæmeterio sine psalmis, ac pulsatione campanarum; & etiam, ut in Ecclesiis conventualibus bini, & bini possint horas canonicas, exclusis excommunicatis ita cantare, ut exterius audiri nequeant. Item concessit viaticum dari decedentibus, quod à DD. protractum est ad damnatos ultimo supplicio; navigantes, & mulieres prægnantes, cum in periculo mortis sint. Gregorius IX. etiam permisit, ut semel in hebdomada sacrificium Missæ celebrari possit causâ renovandi Eucharistiæ, cap. permittimus, de sent. excom. & tunc necessitate urgente potest admitti laicus ut minister. Diana part. 10. tract. 5.

B b b

resol. 87.

resol. 87. Idem permittit Templariis, & Hospitalariis, & iis, qui eorum fraternitati fuissent obliti, ut possint sepeliri in Ecclesia tempore interdicti, *cap. ut privilegia, de privil.* Innocentius IV. sanxit, Episcopos non teneri observare interdictum, nisi specialiter ob ipsos sit appositum, *cap. quia, de sent. excom. lib. 6.* Bonifacius VIII. qui valde interdicti rigorem laxavit, statuit ut tempore interdicti liceret chrisma conficere *cap. quoniam 19, de sent. excom. in 6.* ubi plura Costa, Barb. de potestate Episcopi alleg. 3. num. 12. Narbona de etate, anno 7, quest. 4. Severinus in notis ad epist. 2. Fabiani: & sacramentum poenitentiae omnibus in univertum ministrare, exceptis iis, qui dederunt causam interdicto: & *cap. alma mater eod. tit. & lib.* statuit ut quotidie in omnibus Ecclesiis & monasteriis, sive monachorum, sive monialium, etiam in hospitalibus, submissa voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis sacrificium offerri possit, *dist. cap. alma*, ubi DD. docent ex veriori opinione idem dicendum esse de oratoriis privatis, & de qualibet Missa, sive occurrenti, sive votiva, & notant Bonifacium accipiendum esse de interdicto generali locali, non vero particulari, aut speciali. Tandem statuit, ut in quatuor festivitatibus, Natalis Domini, Paschae Resurrectionis, Pentecostes, & assumptionis B. Mariae suspendatur interdictum, ita ut apertis ianuis, & pulsatis campanis divina celebrentur officia, & omnes admittantur, exceptis interdictis personaliter, qui dederunt causam interdicto. Martinus V. & Eugenius IV. hoc portexerunt ad festivitatem corporis Christi. Glossa verbo *Revelatione*, in *Clement. 1. de reliquis*. Hugolinus de censur. disput. 8. §. 6. Deinde Leo X. ad festivitatem Immaculae Conceptionis ut refert Barbosa in *dist. cap. alma*, numer. 18. Hec procedunt inspecto jure communi ante privilegium Bullae Cruciatæ, quo inspecto qui illud habent, cum non dederunt causam interdictio, possunt Missam, & alia divina officia audire tempore generalis interdicti in quibuslibet Ecclesiis, vel monasteriis, etiam oratoriis particularibus, exceptis specialiter interdictis, in quibus etiam licebit audire Missam quando dici-

tur ad renovandum sacramentum Eucharistiae, ut contra Koninch, & Trullench tenent Diana *part. 5. tract. 10. resol. 60. P. Mendo in Bulla, disput. 15. cap. 3. num. 13.* Prodest etiam privilegium Bullae ad hunc effectum, non solum illis, qui eam habent, verum etiam confanguineis usque ad quartum gradum, & famulis veris, non vero fraudulentè receptis, nec discipulis, eo quod magister privilegio Bullae potatur, ut volebat Trullench. in *Bullam, lib. 1. §. 3. dub. 3.* Conceditur etiam praedictis per totam virtute Bullae, ut possint sacramenta recipere, ea videlicet, quae adhuc alia constitutione non permittentur, videlicet sacramenta Ordinis, Extremae Unctionis, Eucharistiae, ac Matrimonij. Circa matrimonium autem notandum est, absque privilegio Bullae valide contrahi, sive de futuro, sive de praesenti, tempore interdicti, cum nemo neget etiam ab excommunicatis valide celebrari, *cap. significasti, de eo qui duxit in matrimonium.* Unde privilegio Bullae tantum conceditur, ut licite possint benedictiones nuptiales a proprio parochio recipi: conceditur etiam habentibus bullam, ut sicut sacerdotes ex praesenti textu poterant tempore interdicti sepeliri in Ecclesia, ita & ipsi sepulturae ecclesiasticae tradi valeant cum modica pompa, videlicet ianuis clausis, non pulsatis campanis, & psalmis recitatis submissa voce. Ex hucusque traditis constat, nihil specialiter cautum esse circa pulsationem campanarum tempore interdicti: unde hodie exceptis praedictis festivitatibus, non licere tempore interdicti pulsare campanas, sive magnas, sive parvas, immo tuba, tabula, aut cursori debere clericos ad officia divina vocari, resolvunt Suarez, Avila, Gibalinus, & Leander de hac censura agentes: manè tamen, meridie, ac sero, & ad convocandum populum ad audiendum verbum Dei possunt pulsari, ut pluribus relatis tradit Barbosa *lib. 3. voto 102. num. 33.* Nec etiam circa ianuas Ecclesiae aperiendas aliquid specialiter cautum est, unde nisi in praedictis festivitatibus non licebit eas aperire, adeo ut qui perforaverint ianuas, aut fenestras in eis fecerint, ut qui non possunt Ecclesiam ingredi, audiant divina officia, excommunicentur in *Clement. 1. de sent. excomm.*

CAPUT XII.

Idem in Concilio generali.

OMnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos^b discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem simul in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam pro virili studeat adimplere, suscipiens reverenter ad dominum in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem^c causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens careat christianam sepulturam. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiae cecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere, nec ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti^f medici similiter infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium praebere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum. Caveat autem omni studio, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo procedat aliquatenus in peccatorem: sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione cautè requirat.

requirat. Quoniam qui peccatum pœnitentiâi iudicio sibi detectum præsumperit revelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam penitentiam in arctum monasterium retrudendum.

NOTÆ.

1. **a** **G**enerali.) Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. ut habetur in c. 2. hoc tit. in 4. collect. & in ipso Concilio Lateran. cap. 21. Cum enim in ipso Concilio varia circa Sacramenta, & fidem contra Hæreticos statuta essent, præceptum hoc annuæ confessionis noviter statutum fuit, ut notavit Cujacius in orat. de confessione, quæ extat ad calcem comment. in jus canonicum. Licet antea Wilhelmus Parisiens. Episcopus in suis constitutionibus, tom. 26. Concil. can. 3. ita statuerit: *Presbyteri parochianos suos moneant, & frequenter in Ecclesiis suis denuncient, quod omnes saltem Patres familias, & matres ad confessionem veniant ante Pascha Floridum: Et qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam usque post octavas Pasche ad confessionem non admittantur, sed usque ad illud tempus à carnis jejuniis abstinere, sicut in Quadragesima.*
2. **b** **D**iscretionis.) Hanc ætatem discretionis vulgò pro septennio accipiunt DD. relati à Narbona de ætate ad actus humanos. anno 7. q. 7. Sed verius est, tempus hoc relinqui arbitrio confessarii, qui inspecta pueri qualitate, & moribus, & perperis aliis circumstantiis, an ad interrogata ordinatè responsum præbeat, & quod magis malitiam detegit, utrum peccata cognoscat, iudicabit an sit doli capax, necne, ut probat Narbona ubi proxime; & eodem tempore, videlicet cum ad annos discretionis puer pervenerit, ipsum posse admitti ad communionem corporis Domini, probat Joannes Sanchez in select. disp. 26. per tot. contra communem Doctorum sententiam, qui asserunt, saltem usque ad annum decimum & dimidium non posse pueros admitti ad communionem Eucharisticam.
3. **c** **P**roprio sacerdoti.) Id est parochio, ut infra probavimus, & latè docet Balboa in repetit. ad hunc textum. Hodie autem post privilegium Bullæ, & ampla privilegia Religionibus concessa, Parochus pro confessionibus audiendis ferè negligitur. De hac facultate audiendi confessiones religiosi concessa, videndi sunt Corjolanus in notis ad Concil. Rhemens. in addit. summa. fol. 71. Bruho Cassing. de priv. regul. tract. 2. propos. 2. c. 6. per tot. Araujo in decis. moral. qu. 8. cum sequent. Theophilus tom. 11. fol. 152.
4. **d** **A**d minus.) Quia olim in tribus Paschæ festivitibus, necnon feriâ 5. cœnæ Domini communicandum erat, c. 2. si frequenter, cum sequent. de consecrat. dist. 2. probat de communionem quotidiana, & Paschali apud veteres usitata. Theophil. tom. 16. in Heteroel. spirit. puncto 4. & plura de hoc præcepto annuo communicandi congesterunt Fagundes, & Tamburinus in 2. præcept. Eccles. Leander 1. p. de sacram. dist. 7. à q. 21. usque ad 62.
5. **e** **R**ationabilem causam.] Veluti quando confessarius differt absolutionem, ut experiatur an propositum pœnitentis firmum sit, ut cum aliis docet Joannes Sanchez in select. disp. 9. n. 3. aut quia absolvere ipsum injustum iudicaverit, donec pœnitens occasionem proximam peccandi vitaret: quibus in casibus fidelis non communicans in Paschate minimè erit reus præcepti ecclesiastici, nec pœnas impositas in præsentis textu patietur, ut probat idem Joannes Sanchez disp. 26. n. 9.
6. **f** **M**ore periti medici.) Consonant textus in D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

c. Deus qui, hoc tit. c. mensuram 26. de pœn. dist. 1. D. Basilius in epist. ad Amphilocho. can. 2. Synodus Mertenis celebrata anno 859. can. 10. c. tempora pœnitentis 26. q. 7. Unde olim erat in qualibet Ecclesia clericus pœnitentiarius pro pœnitentiis injungendis, cujus mentio fit in cap. quæstum hoc tit. de quo egi in c. 2. & 3. de offic. ordin. Est enim in sacerdotis arbitrio, qui pœnitentium confessiones excipit, pœnas satisfactorias mitigare, & benignius cum ipsis peccatoribus agere, quos viderit de admittis reatibus majori dolore correptos, Extat insignis epistola increpatoria S. Dionysii ad Demophilum monachum, qui bonum sacerdotem convitiatus fuerat, quod miseratus fuisset pœnitentis, ipsumque delicta sua cum intimi doloris iudicio confitentem benignè excepisset: rectè enim functum hunc sacerdotem asserit suo ministerio, cujus proprium est plebis ignorantias tolerare, aliorum infirmitates suâ ex fragilitate metiri, Christi mansuetudinem imitari, qui summa semper benignitate, & misericordia peccatores ad se venientes complexus est.

g **C**aveant autem.) Hanc partem de obligatione sigilli confessionis, & pœnis illud violantium retuli, & exposui in cap. 2. de offic. ordin.

COMMENTARIUM.

IN præsentis textu agitur de confessione auriculari, quam nimis imprudenter negant hæretici, & Novatores ut recentè ab Ecclesia institutam rejiciunt, & tantum peccata Deo esse confitenda asserunt, quos reprehendit Alcuinus in epist. Fratribus & Patribus in Provincia Gothorum, ibi: *Dicitur verò, neminem ex laicis suam velle confessionem sacerdotibus dare, quos à Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi, solvendique potestatem accepisse credimus, &c.* Deo vis, o homo confiteri, quem volens, nolens latere non poteris. Ecclesie Christi, in qua peccasti, satisfacere negligis, Et ut antiquitatem hujus confessionis repetamus, Simplicius Pontifex ante annos 120. constituit ad SS. Petrum & Paulum Apostolos, & S. Laurentium Martyrem, ut presbyteri ibi manerent propter pœnitentes, & baptismum, teste Anastasio Biblioth. in Concil. Ticinensi apud Insubres, c. 6. ubi ita cavetur: *Qui occultè deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi, & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.* In Synodo Francica sub Carolo Magno ita legitur: *Ut unusquisque Presbiterus unum presbyterum habeat, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit.* Quod repetitum est libr. 5. Capituli. cap. 2. & libr. 7. Capit. 113. ita legitur: *Ut nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres tantum Episcopi electione ceterorum, propter benedictionem & predicationem, populique reconciliationem, & cum illis selecti sacerdotes qui bene sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere.* Concil. Cabilon. 2. sub Carolo, can. 33. postquam graviter reprehendit eos, qui solummodo Deo confitenda esse peccata contendebant, ait: *Confessio itaque, qua Deo fit, purgat peccata; ea verò, qua sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata; Deus namque salvis, & sanctitatis auctor, & largitor plerumque hanc præbet sua potentia invisibili administratione, plerumque medicorum operatione.* Et libr. 7. Capituli. cap. 194. ibi: *Quærendum nam-*

Bbb 2 que

que est sacerdoti, cum accipit cuiuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut si postea iteratum, aut frequenter actum sit. Idem Concil. Cabilon. cap. 45. Qui peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochiis, confessi sunt, & ab his agenda penitentia consilium acceperunt, si orationibus insistendo, elemosinas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, bonum est devotio modis omnibus collaudanda. Concilio Paris. lib. 1. cap. 13. reprehenduntur Presbyteri, & Parochi, qui relicta parochia forensibus negotiis sese implicant, aut paulo liberius vagantur, non attendentes, quod eorum absentia, & loca Deo dicata sibi cultu debito priventur, & homines sine confessione, & infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur. Eiusdem Concilii cap. 32. Patres damnant sacerdotes illos, qui partim incuriam, partim ignorantiam modum penitentiarum reatum suum confitentibus secus quam iura canonica decernant, imponunt: quapropter statuunt, ut presbyteri imperiti solerti studio ab Episcopi suis instruantur, qualiter & confitentium peccata diserte inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam auctoritatem penitentiarum noverint imponere. In penitentiali Romano tit. 7. cap. 12. Sprevisisti Missam, vel orationem, vel oblationem conjugati presbyteri, ita dico, ut nolles tua peccata sibi confiteri, vel ab eo accipere corpus, & sanguinem Domini, ob hoc, quia peccator tibi esse videretur, uno anno peniteas. Et titulo 8. cap. 3. Omnes, quos in penitentia suscipimus ita nostri spirituales sunt filii, ut ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub rina merionis vocabulo mergentibus, unda sacri baptismatis regeneraverit. Concil. Illiber. can. 32. Carthag. can. 13. ibi: Ut Episcopus a communione non suspendat eum, quem asserit de peccato aliquo sibi soli fuisse confessum. Carthag. 4. can. 74. Ut sacerdotes penitentiam imploranti absque persona acceptatione penitentia leges injungant. meminerunt hujus confessionis, eamque probant Tertullianus lib. de penitent. D. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiast. Basil. in 99. compend. explicatis, explicat. 26. Cyrillus lib. 3. in Levit. cap. 5. D. Augustinus lib. de inutili penit. sive homil. 50. Theodoretus de Andrianis hereticis, Leo Pontifex epist. 57. & 78. Dionysius Areopag. epist. 8. & alii congesti à Pamelio in notis à D. Cyprianum de lapsis, 98. probant Bellarminus lib. 1. de sac. cap. 1. & lib. 1. de penit. cap. 15. Baronius anno 56. Wadingus in notis ad epist. 2. D. Francisci, Zypeus lib. 5. consult. jur. Pontif. consult. 2. Crespertius in summa, verbo Confessio. Sorus in 4. dist. 18. q. 1. art. 1. Vega de justit. lib. 3. c. 28. Unde D. Antoninus 3. part. summa, cap. 18. tit. 14. dum ait post presentem Decretalem confessionem peccatorum fuisse necessariam, non ita est accipiendus, quasi confessio sacramentalis ab hoc tempore Innocentii fuerit necessaria, vel tunc primum instituta; sed tantum, quod per hanc celebrem decretalem nihil

aliud, quam tempus, in quo præceptum confessionis sit adimplendum, præfinitur. sicut enim absurdum est dicere communionem sacram in hac ipsa Decretali institutam fuisse, quamvis in ea communicandi tempus statu eretur; sic sanè à vero abhorret asserere, tunc fuisse institutam confessionem, quamvis ibi tempus confitendi fuerit determinatum. Nec favent Novatoribus D. Chryostomus homil. 2. in Psalmum 50. in illis verbis: Peccata tua dicitur, ut deleas illa: si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicitur ea quoti die in anima tua, non dico ut confitearis confervo tuo, sed dicitur Deo, qui curat ea. Et homil. 4. de Lazaro: Cur igitur pudeas, & erubescis confiteri peccata tua: Cave enim homini dixeris, ne tibi exprobet; nec enim confervo confiteri, ut in publicum proferat; sed ei, qui Dominus est, qui medicus est, ostendis vulnere tua: nec enim ignorat, etiamsi ei non dixeris. Cassianus col. 20. c. 8. ibi. Quod si verecundia retrahente revelare coram hominibus erubescis, illi, quæ latere non possunt, confiteri eajugi supplicatione non desinas, ac dicere: Iniquitati meæ ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Qui te absque ullius verecundia publicatione curare, & sine improprio damnare consuevit. Nam hæc, & similia, tum Chryostomi, tum Cassiani dicta non sunt intelligenda de secreta, & sacramentali confessione, in qua homo confitetur sacerdoti, non ut homini, sed ut Deo: id est Dei vicario; sed de publica penitentia, quæ publicè fiebat in Ecclesia, juxta ritus relatos supra in c. 1. hoc tit. docent Sixtus Senens. lib. 5. Biblioth. annot. 165. Baronius tom. 1. anno 56. Magister in 4. sent. dist. 17. ubi postquam dixit, peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, subdit hæc verba: Illud Joannis Chryostomi superius positum, non est ita intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, & semel: nec oportet publicari coram multis quod occultum est, quod notavit dicens: Non tibi dico, ut te prodas in publicum; sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita & occulta secretà confessione, & occulta satisfatione purgatur. Nec necesse est, ut quod sacerdoti semel confessum, iterum confiteamur: sed lingua cordis, non carnis apud verum iudicem id jugiter confiteri debemus. Magistrum sequitur Gazæus in notis ad Cassian. d. col. 20. c. 8. Non ergo D. Chryostomus docere vult, confessionem peccatorum sacramentalè soli Deo factam sufficere, sed vult Deo potissimum confitentem esse, qui remittit peccata: vel etiam ut ostendat, quod qui sacerdoti confitetur, Deo confitetur, ita ut nihil debeat timere: vel denique ut ostendat, hoc secretum iudicium non esse simile secularibus, quod in hoc nulli sunt timendi testes, nulla pena, nulla infamia; & tantum abest, ut velit nos à sacerdotali confessione revocare, ut magis hortetur ad eam, ut pote tanquam Deo factam, tanquam secretam, tutam, & minime periculosam, ut docet Dartis de penitentia cap. 13.

CAPVT XIII.

Idem in a eodem.

Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat dicente Domino languido, quem sanaverat: Vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: presenti decreto statuimus, & distinctè præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant

ducant, quod medicos advocent animarum; ut postquam fuerit de salute animarum provisum, ad corporale medicinæ remedium salubrius procedatur; cum cessante causa cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægri tudinis lecto jacentes, cum eis à medicis suaderetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt. Si quis autem medicorum nostræ constitutionis, postquam per Prælatos fuerit ^b publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. Caterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid agro suadeat, quod in periculum animæ convertatur.

NOTÆ.

I. ^a **Eodem**) Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 5. & extat textus hic in ipso Concilio, can. 21. Consonant Concil. Brachar. 4. ult. 5. cap. 31. ibi: *Præcipit sancta Synodus singulis hujus Provinciae medicis sub excommunicationis poena, ut quo primum die egrotos decumbentes inviserint, illos de salutaris saltem confessione faciendi admovent, alioquin si cum illos reviderint id prætermisissimum fuisse compererint, denuo admovent, addita comminatione, quâ testentur, se amplius non reversuros, nec decumbentium curam habituros, si cum tertio redierint, factam saltem ab egrotis confessionem non reperierint. Quod nisi ipsa medici compleant, prædictam excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & indictâ ab Ordinaris multa, piis usibus applicandâ puniantur.* Concil. Ravennat. 2. temporibus Clementis V. r.

bric. 15. Monemus insuper omnes medicos, quod quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire audeant, nec curare eosdem, nisi prius eis constiterit, quod ipsi infirmi prædicti medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum. Pius V. in constitutione quæ incipit *Super gregem*, edita die 8. Martii, anno 1566. & cum ad gradus Doctoratus medici admittuntur, jurare debent, se servaturos præsentem constitutionem. Illustrant eam Diana 2. p. tract. 4. resol. 93. Sanchez lib. 3. summa, cap. 16. num. 12. Scoria in select. Pont. constit. theorem. 215. Gibaln. de censur. in synopsis, verbo *medicus*, Barbosa de potest. Episcop. alleg. 91. Diana part. 1. tract. 1. resol. 22. Azevedus in l. 5. tit. 1. lib. 1. recopil.

^b *Publicata.*) Quia lex non obligat ante promulgationem, ut probat Petrus Marcha part. 1. concord. Sacerd. & Imp. lib. 2. cap. 26. & illustravi in cap. 4. de postul. Prælat.

CAPUT XIV.

Idem in ^a eodem.

CUM ex eo, &c. *Et infra*: Eleemosynarum quoque quæstores, quorum se quidam mentiendo alios, abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti, nisi Apostolicas, vel diœcesani Episcopi literas veras exhibeant prohibemus: & tunc præter id, quod in ipsis continebitur literis, nihil populo proponere permittantur; Formam verò, quam communiter omnibus talibus Apostolica Sedes indulget, duximus exprimendam, ut secundum eam diœcesani literas moderentur. Ea siquidem talis est: Quoniam ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem missionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cœlis; firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat de benedictionibus de benedictionibus & metet vitam æternam. Cum igitur ad sustentationem fratrum ad tale confluentium hospitale propriæ non suppetant facultates, universitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, atque in remissionem peccatorum vobis injungimus, quod de bonis à Deo vobis collatis aliquas eleemosynas, & grata eis subsidia charitatis erogetis, ut per subventionem vestram temporum inopiæ consulatur, & vos per hæc, & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire. Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint, in tabernis aut in aliis locis inhonestis non hospitentur, nec inutiles faciant, aut sumptuosas expensas, caventes ne falsæ religionis habitum gestent. Ad ^b hæc quia per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & poenitentialis satisfactio enervatur: decernimus, ut cum consecratur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur: ac demum in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis indulta remissio non excedat. *Et infra*: Ad hunc

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Bbb 3

quoque

quoque dierum numerum indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur; cum Rom. Pont. qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in tabulis moderamen consueverit observare.

NOTÆ.

- I. ^a *Eodem.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & extat textus hic in ipso Concilio *can. 62.* atque ejus principium reperitur in *cap. 2. de reliquiis, & vener.*
 b *Ad hoc.*) Hanc partem de indulgentiis exponimus sequenti commentario.

COMMENTARIUM.

2. **V**Sus quæstorum eleemosynarum, seu potius abusus eorum, qui non sibi eleemosynas quærunt, sed potius conducunt eleemosynas piorum locorum, seu sanctorum, perantiquus est, ut constat *ex cap. ruarum 11. de priviil.* Quia verò, illi quæstores facultate sibi concessa abutebantur, præfens Concilii Lateran. constitutio emanavit prohibens ne hujusmodi quæstus fiant, & ne quæstores ad eleemosynas petendas sine Episcopi, vel Pontificis literis, quibus de eorum moribus, atque eleemosynæ causa constet admittantur. Et quia adhuc abusus dictorum quæstorum excreverat in maximum Christiani orbis scandalum, dum in prædicationibus multa de reliquiis, & indulgentiis mendacia confingebant; ideo Concil. Viennense relatum in *Clement. 2. hoc tit. inharendo præfenti constitutioni addidit, quod literæ Apostolicæ ad eleemosynarum quæstus faciendos examini ordinariorum subderentur, quæstoribus hujusmodi prædicationis officio penitus interdicto, cum sola facultate simpliciter exprimendi illud, quod in literis Apostolicis, aut Episcopi continetur, faciunt Clemens IV. in cap. ut officium 11. §. compescendi, de hæret. in 6. Concil. Salesburg. tempore Gregor. X. *can. 6. Toletan. anno 1473. temporibus Sixti IV. can. 13. & de eis in Concilio Tridentino sess. 5. de reform. cap. 2.* ita cavetur: *Quæstores eleemosynarum, qui etiam quæstorii dicuntur, cujuscunque conditionis existant, nullo modo, nec per se, nec per alium prædicare præsumant. Et contra facientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum privilegii quibuscunque non obstantibus, oportunitis remediis omnino arceantur.* Et in Concilio Pictaviensi 2. sub Paschali II. *can. 12.* ita cavetur: *Sanctorum reliquias causâ pecunie, & quæstus circumferentes, ad prædicationem non admittantur. Qui abusus & apud Gentiles irrepsit, dum Sacerdotes Idolorum suos Deos circumferabant, ut ipsorum nomine mercedem, & stipem exigere. Apulejus lib. 8. De am Syriam circumferentes men-**

dicare compellunt. Minutius in Octavio: *Mendicantes vicatim Deos ducunt.* Halicarnass. lib. 2. notavit Gibalinus *de negot. tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 1. num. 3.* Quia verò hujusmodi remedia minime profuerant, immò quæstorum hujusmodi malitiâ excrecente ac per hoc datâ ansâ hæreticis in fidem catholicam debacchandi, idem Concil. Trident. *sess. 22. de reform. cap. 9.* statuit, ut illorum quæstorum nomen, atque usus penitus aboleretur, nec ad hujusmodi officium exercendum ullatenus admitterentur, non obstantibus quibuscunque privilegiis. Nec minori odio hos improbos quæstores prosequuti sunt sæculares legislatores; nam præterquam quod in *l. unic. Cod. de mendicant. v. lid.* jubentur similes mendicantes in exilium mitteri, de quibus in Concilio Coloniensi anno 1536. *can. 5. ibi. Mendicantibus validis non solum hospitibus clausa, sed & publicè, ac ostiatim mendicare penitus interdicitur.* Trid. *sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 21. cap. 9. & sess. 25. ad fin. plura Philippus Camerarius tom. 1. oper. success. c. 16. & cent. 2. c. 74. etiam in l. 21. tit. 18. pariter, 3. cavetur, ut cautè licentia ad eleemosynas petendas quæstoribus detur. Et apud Lufitanos lib. 5. *ordinar. tit. 103.* constitutum est, ne quæstores alicujus Sancti nomine petere eleemosynam permittantur, nisi ab eis Regiæ literæ ostendantur, quod si aliter factum sit, omnes pecunie ab illis quæsitæ, quæstori Redemptionis Captivorum tradantur. Simile apud nos cautum extat in *l. 1. §. 2. tit. 8. lib. 1. ordin.* quæ hodie est *lex 4. tit. 9. lib. 1. nova recopil. & apud Gallos idem Regii Senatus decretis dispositum refert Cophinus de sacr. pol. tit. 5. num. 23.* Unde de his quæstoribus eleemosynarum cognoscunt tam judices ecclesiastici, quàm sæculares; examinantque licentias, quas deferunt, an sint authentica; vel apocryphæ, ut probat Pereyra *part. 2. de man. Regiæ, cap. 76.* nam si mendicantes validi, & similes, qui ut otiosam vitam agant pauperem vitam affectant, ejicendi sunt à civitate, quia panem adimunt veris pauperibus, *cap. non omnis 5. quæst. 5. cap. 1. di. dist. 14. tit. 20. part. 2. l. 40. tit. 5. part. 1. d. i. cum sequent. tit. 11. lib. 8. Recopil. probant latè Bobadilla lib. 2. *potest. cap. 13. nu. 31.* Petrus Greg. 3. *part. syntag. lib. 39. cap. 6. & de republica lib. 13. cap. 14. num. 3. & lib. 1. part. tit. 22. cap. 3.* Solorzano *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. c. 25.* quanto magis qui fallaci ingenio eleemosynas extorquebant fallaci plerumque prædicantes. Licentias autem petendi eleemosynas personis miseris dare debere judices ecclesiasticos, probat Barbosa *ad Trident. ubi supra,***

CAPVT XV.

Honorius III. ^a *Abbatì & Conventui sancti Petri de Praxellis*
Lexo-v. Diæcesis.

Nostro postulasti certificari responso, utrum per tuam provinciam possis concedere ^b remissiones literas generales. Nos igitur fraternitati tuæ breviter respondemus, quod per provinciam tuam liberè potes hujusmodi literas concedere; ita tamen quod statutum generalis Concilii non excedas,

NOTÆ.

NOTÆ.

1. **A**bbati.) In hac sexta collectione tantum legitur Honorius III. & in MSS. codicibus inscriptionem hujus textus desiderari refert Cironius in not. ad 5. compil. ad hunc tit. ubi præfens inscriptio legitur, sed malè, tum quia Pontifex Abbates non fratres, sed filios appellare solet; tum etiam quia Abbates provinciam non habent, & de Prælato provinciam habente agit Honorius in præfenti.

2. **b** Remissionis.) Id est Indulgentiæ peccatorum, ut etiam sumitur in c. cum ex eo, hoc tit. & apud Tertul. contra Marcionem c. 18. ibi: Duximus de remissa peccatorum, id est de remissione. Apud Cyprianum epist. 59. ibi: Gravissimis, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crederent, remissa peccatorum datur. Notavit Cironius in præfenti textu, & in parat. ad hunc tit.

COMMENTARIUM.

3. **E**x hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Intra provinciam suam concedere potest Indulgentias Archiepiscopus, juxta dispositionem Concilii Later. Generalis. Non est alia similis decisio, quâ probari possit præfens assertio: eam illustant Suarez tom. 5. in 3. part. de pœnit. disput. 55. sect. 3. Barbosa alleg. 88. Petrus Gregorius lib. 1. part. tit. 17. cap. 3. Cironius ad hunc textum. Jul. Labor. de indulgent. 2. part. cap. 11. num. 28. Quarant. in summa Bullar. verbo Archiepiscopi auctoritas. Boëtius Epon. in tract. de jubil. & Indulg. num. 119. Torreblanca lib. 14. de jure spirit. cap. 14. in princ. Joannes Darts de pœnit. cap. 61. Bonacina de Sacram. disput. 6. quest. 1. & 3. Corduba quest. 14. Fragofo de regim. Christ. Reipub. part. 2. lib. 2. disput. 4. §. 2. per totum.

4. **S**ed in præfentem assertionem pro dubitandi ratione ita argumentor. Indulgentiæ, quæ conceduntur à Prælati alienis subditis, nullæ sunt, cap. quod autem 4. hoc tit. ubi ratio redditur, quia qui non potest ligare, nec absolvere: sed Archiepiscopus non est ordinarius iudex subditorum suorum suffraganeorum, cap. pastoralis de offic. ordin. nec extra suam diœcesim habet contentiosam jurisdictionem, exceptis quibusdam casibus relatis in d. cap. pastoralis. Igitur, per totam suam provinciam non potest Archiepiscopus indulgentias concedere. Etiam difficilis est alia pars ipsius assertionis, ubi docetur, Archiepiscopos servatâ formâ Concilii Lateranensis indulgentias concedere debere; nam forma præscripta in dicto Concilio pro Episcopis fuit, non verò pro Archiepiscopis. Igitur non rectè in præfenti docetur, Archiepiscopos debere indulgentias concedere, juxta Conc. Lateranensis formam.

5. **A**dhuc tamen defendenda est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, indulgentiam variè accipi in jure nostro. Aliquando indulgentia dicitur quando aliquid fit ex mera liberalitate, ut de decimis novalium dicitur in cap. ex parte supra de decimis: vel cum partibus conceditur tempus ad litem prosequendam, ut etiam elapsum non noceat, c. dilecto, de V. S. c. 2. de eo qui mittitur in possess. ibi: Quatenus si est ita, indulgentia hujusmodi non obstante, negotio sinem debium imponas. Plerumque sumitur pro relaxatione pœnæ; seu abolitione criminis, ut in tit. Cod. de indulg. crimin. c. 1. de treuga & pace, & in 1. compil.

ibi: Si necesse fuerit per indulgentias secundum quod utilitati Ecclesiarum, & totius terra, necnon & animarum saluti videris expedire. In præfenti autem indulgentia accipitur pro remissione pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis concessâ homini existenti in gratia à legitimo Prælato per applicationem thesauri ecclesiastici. Corduba de indulg. quest. 1. Torreblanca de jure spirit. dist. lib. 14. cap. 13. num. 5. Fragofo ubi supra, Barbosa dist. alleg. 88. num. 1. Pater Mendo in Bullam. disput. 6. cap. 1. num. 2. Indulgentia ita accepta duplex est, alia plenaria, temporalis alia. Plenaria est illa, quâ remittitur tota pœna temporalis simpliciter, quæ nimirum post peccata remissa per sacramentum pœnitentiæ expianda remansit, sive in hac vita, sive in purgatorio: & licet cum talis indulgentia conceditur, communiter addatur, & remissio omnium peccatorum, illis verbis potius effectus indulgentiæ explicatur, quàm quid novum continetur. Indulgentia verò temporalis dicitur illa, quâ non remittitur tota pœna, sed ejus tantum pars relaxatur, & sub duplici præfentem forma tribui solet. Aliquando enim conceduntur Indulgentiæ tot dierum, vel annorum, & est remissio tantæ pœnæ, quanta solvi in hac vita debuisset, pro pœnitentiâ tot dierum, vel annorum, vel quanta in purgatorio luenda foret, si in hac vita peccata non esset: quandoque autem Indulgentiæ conceduntur respectivè ad certam partem peccatorum, veluti ad tertiam, seu quartam: & tunc remittitur tanta pœna, quanta persolvi debuisset in hac vita, vel in purgatorio pro tertia illa, vel quarta parte peccatorum, ut explicant Suarez de pœnitentiâ disput. 50. sectio. 4. & 5. Bellarminus tom. 3. controvers. libr. 1. de indulg. cap. 9. Jul. Labor. eodem tractat. part. 2. c. 10. Torreblanca dist. cap. 14. in princ. P. Gregorius lib. 1. part. tit. 17. cap. 2.

Indulgentias concedere possunt primò Pontifex, qui tantum plenariam dare valet, quia solus ipse in plenitudinem potestatis vocatus est, c. cum ex eo, hoc tit. cap. quocumque 24. quest. 1. nam ex infinito thesauro Ecclesiæ, cujus administrator ipse est, plenarias, & plenissimas indulgentias concedere valet. Laborus dist. part. 2. cap. 11. Boëtius Epon. de jure jubilei. num. 148. In suis diœcesibus Archiepiscopi, & Episcopi indulgentias largiuntur, dummodo statutum generalis Concilii non excedant, nam in c. antecedenti, cap. 13. & final. hoc tit. in 6. cavetur, ne claves ecclesiæ contemnantur per indiscretas Prælatorum indulgentias; & ne pœnitentiæ satisfactio enervetur, decernitur, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia extra annum, & in anniversario dedicationis ultra 40. dies: & ita Archiepiscopis, & Episcopis à jure ipso præscriptæ sunt indulgentiæ concedendæ; cum enim hanc potestatem concedendi indulgentias habeant à Summo Pontifice, ut fert valdè communis sententia, cui subscribunt Medina tractat. 5. disput. 4. num. 2. Macedo de clavibus Petri libr. 4. cap. 4. Bellarminus libr. 4. de Pontifice, cap. 24. Suarez tom. 4. in 3. part. sect. 1. num. 11. disput. 25. Magallan. in proxm. epist. ad Timoth. sect. 12. Malderus 2. tractat. de Pontifice, disput. 4. dub. 1. Agidius 3. part. disput. 8. dub. 3. Fagandez in 2. Ecclesiæ præcept. libr. 7. cap. 1. numer. 25. Duvallius tractat. de Pontifice. part. 1. quest. 2. potuit eo modo à Pontifice restringi, & limitari. Legati etiam Apostolici in provincia sibi designata indulgentias concedere valet, ut docent Glossa in præfenti, Bbb 4 Petri.

6. **A**lia de Indulgentiis præmittuntur.

Petr. Gregorius *dist. tit. 17. cap. 3.* Abbatibus vero, & similibus inferioribus Prælati concedere indulgentias non licet, *cap. accedentibus 13. de privi.* nisi speciali privilegio, vel consuetudine legitime præscripta suffulti fuerint. Barbofa *d. alleg. 88.* Petrus Gregor. *dist. cap. 3.* Fragofo *ubi proxime*: nec absque causa similes indulgentiæ conceduntur; illa autem vel est spiritualis, vel corporalis. Spiritualis, veluti ut fideles à peccatis absoluti orent pro conversione infidelium, & pro pace Christiana fidei, *extravag. unic. inter communes, de celebrat. Missar.* vel ut sanctius celebretur festività alicujus Sancti, *Clement. unic. de reliq. & venerat. extravagan. 1. eodem titul. inter communes.* Corporalis est velut in dedicationibus Ecclesiarum, ut fideles invitentur ad eleemosynas largiendas eidem Ecclesiæ conservandæ, *cap. 1. hoc tit. in 6.* ob restaurationem pontium, *cap. cum ex eo, hoc tit. extravag. final. hoc tit.* vel ad sustentationem egenorum confluentium ad hospitale, *dist. extravag. final.* vel ad excitandam devotionem visitando certas basilicas, *extrav. 1. hoc tit. inter communes.*

7. De veritate indulgentiarum.

Indulgentias ut nunc vocamus, quibus remissiones continentur minorum peccatorum, aut satisfactionis debita pro majoribus, impie irridet Lutherus *in assertionibus, art. 17.* & solâ extravaganti Clementis VI. ex opinionibus Div. Thomæ, ut ille ait, compositâ, probari, falsò nobis objicit. Sed incipiam à ratione Div. Thomæ, quæ gravior est, quàm primâ fronte videtur. Ab omnibus, inquit, ponitur indulgentias valere, & impium esse dicere, quod Ecclesiæ aliquid vanum facit: ergo sunt indulgentiæ. Perinde enim est, ac si diceret Sanctus, semper hæcenus in omnibus Ecclesiis prædictas fuisse indulgentias; ergo dari indulgentias Apostolicas est Ecclesiæ Catholicæ. Ex eo enim, quod ab omnibus Ecclesiis semper aliquid admissum sit, convincitur traditio; sic enim probat Apostolus, quod in epistola ad Corinthios docebat de ratione docendi Ecclesiæ, & de subjectione inferiorum Prophetarum ad superiores, & ne mulier doceret in Ecclesia: *Sicut, inquit, & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo, an à vobis processit verbum Dei, aut ad duos solos pervenit.* Quasi diceret, non processit à vobis, sed à vestris antecessoribus. In quo notatur origo, & antiquitas. Sic etiam dogma, indulgentias esse, non à nobis processit, sed ab iis, qui fuerunt ante nostra sæcula. Accepimus etiam à primis Ecclesiæ temporibus. Quod ut facile constet, ascendamus supra sæculum Clementis VI. cui indulgentiarum usum tribuit Lutherus; extat enim Romæ in Ecclesia sanctæ Sabinæ inciso in lapide marmoreo Gregorii IX. indulgentia concessa verè pœnitentibus, & confessis unius anni, & quadraginta dierum: & ante Gregorium IX. extat Alexandri IV. relaxatio de iunctis pœnitentiis, (sic enim vocat) incisa item in lapide marmoreo, concessâ indulgentiâ omnibus pœnitentibus, & confessis in dedicatione sanctæ Mariæ del Campo. Sed si ascendamus adhuc superius, extat indulgentia Veronæ in templo Ecclesiæ Collegiatæ sanctæ Helenæ, incisa in tabula lapidea ante annos 430. in solenni dedicatione illius Ecclesiæ, sub hac formula: *Annua m deniq. 30. dierum absolutionem. & tertiam partem minorum peccatorum, & fraudem pœnitentiæ venientibus ad sacri hujus templi revolutam dedicationem.* Est autem, ut hoc obiter admoneam, sic exponenda hæc formula, ut quia per indulgentias remittuntur

rum pœnæ temporales debita pro peccatis venialibus, tum debita pro mortalibus, de pœnis quidem debitis pro peccatis mortalibus remissis accipienda sunt illa verba *triginta dierum absolutionem*; de debitis pro venialibus illa, *& tertiam partem minorum peccatorum*; id est tertiam partem pœnarum debitam in purgatorio venialium peccatorum. Quod verò dicit, *& fraudem pœnitentiæ*, significat condonari insuper, ac remitti pœnas debitas pro peccatis majoribus remissis, quæ aliâ fuissent soluta, ac deleta: per pœnitentias, canonicè injunctas, si fuissent persolutæ, ut postulat ratio canonum pœnitentiarum, qui justî & sancti fuerunt à principio secundum judicium Ecclesiæ constituti; postea verò propter infirmitatem nostram relaxati. Quod ergo non est solutum implendo canonicas pœnitentias in judicio Ecclesiæ indictas, & præscriptas, vocat fraudem pœnitentiæ, & hujusmodi fraudem canonicarum pœnitentiæ condonat Summus Pontifex condescendens infirmitati nostræ, per œconomiam, & providentem dispensationem indulgentiæ. Deinde extat Bulla Urbani II. de indulgentiâ plenissima in Synodo Claromontana, cum erat suscipiendum bellum Hierosolymitanum contra Saracenos Duce Godifredo Bullionensi; sed nec ab hoc Pontifice processit usus indulgentiarum, sed ante eum Gregorius VII. id est ante annos 500. multas hujusmodi indulgentias concessit, ut constat ex ejus epist. ad Episcopos, & Clericos Britanniæ missa; immò & apud Gregorium Magnum legitur exemplum indulgentiæ, licet formula sit alia, quàm nunc Patres utuntur, *lib. 7. in epist. ad Richaredum*, ubi ait: *Clavem parvulam à sacratissimo B. Petri corpore pro ejus benedictione transmissimus, in qua est ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum ejus ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat.* Indulgentiam vocat Sanctus benedictionem veteri verbo illo tempore usitato. Simile exemplum est in eodem libro *in epist. ad Secundinum*; & aliud *lib. 6. in epist. ad Theonitum, & Andream.* Est autem observandum, in dicto primo exemplo Gregorii Magni, illum misisse clavem parvulam, quæ erat signum, & index indulgentiæ peccatorum per potestatem clavium concessæ, in qua auctoritate successit B. Petri: & nunc Pontifices aliis verbis idem significant, & alio modo testantur, cum dicunt: *Auctoritate B. Petri, & c.* mittentes non clavem, sed literas, quas vocant *bullas* cum clavibus pictis: illud verò, quod ait hic Gregorius de ferro ex catenis Petri incluso in clavi, non temerè factum est; potuit enim seorsum mittere, & non includere in clavi, nisi aliquid spiritualiter, & spiritualibus significare voluisset; illud scilicet, indulgentias ipsas peccatorum, quæ sunt velut catenæ, & vincula, niti in meritis Christi, & passionibus ejus, non solum quas in se passus est, sed quas in sanctis suis: quod nunc ipsi Pontifices in hujusmodi bullis dicunt; Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, & auctoritate confisi concedimus. Merita enim Petri fuerunt ejus martyrium, quod significat ferrum de catenis ejus. Hoc autem exemplum B. Gregorii, non solum imitatus, verum & interpretatus est Gregorius alter VII. sic enim scripsit ad Alphonsum Hispaniæ, ut est *lib. 7. Regestri ejus*, ibi: *Ex more Sanctorum missimus vobis claviculam auream, in qua de catenis B. Petri benedictio continetur, ut omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberavit, ejusmodi etiâ intercessionibus vos ab omnibus peccatorum vestrorum vinculis absolvat, & ad gaudia perducat*

alternâ,

atene. Immo ante tempora Gregorii magni ab ipsa Apostolorum doctrina processit usus indulgentiarum; sic enim D. Clemens lib. 3. constit. cap. 10. scribit: Immo nec laico permittimus facere aliquod opus sacerdotale, ut sacrificium, aut baptismum, aut impositionem manus, aut benedictionem, sive parvam, sive magnam. Et lib. 8. capit. 44. Nec enim fas est Diacono sacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem, sive parvam, sive magnam facere. Non dubium est, quin hic benedictionem magnam vocet Pontifex remissionem peccatorum magnorum, quæ mortalia vocantur; & poenarum inferni, quæ eis debentur; parvam verò benedictionem vocat remissionem reliquorum peccatorum, id est poenarum, quæ debentur pro peccatis magnis prius remissis; & parvorum peccatorum, quæ dicuntur venialia. Probat etiam hanc potestatem concedendi indulgentias, non solum vivis, verum etiam defunctis, Bellarminus dicto tract. de indulg. Dartis in tract. de poenit. cap. 61. per tot.

Nec obstat prima dubitandi ratio supra expensa, cui ut satisfaciant Doctores, varia adducunt. Abbas in presenti (quem sequitur Cironius in

presenti) asserit textum hunc procedere quando Archiepiscopus per provinciam suam visitationis munus exequitur, nam tunc cum & corrigere possit subditos suffraganeorum suorum, merito & illis indulgentias concedere valet. Alii docent Archiepiscopum semper indulgentias concedere posse, quia actus hic est voluntariæ jurisdictionis. Ita Suarez dict. tract. de poenit. disp. 49. sect. 3. Riccius in praxi; resol. 306. nu. 5. Barbosa de potestate Episcopi, alleg. 88. Sed hæc sententia expressè convincitur ex dicto capite Quod autem, hoc tit. Quare magis placet prior solutio. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Concilio Lateranensi relato in cap. antecedenti, præscriptum fuisse formam servandam in concessione indulgentiarum non solum Episcopis, verum & Archiepiscopis; siquidem illis verbis: Quidam Ecclesiarum Prælati, comprehenduntur etiam Archiepiscopi: unde rectè notarunt Barbosa d. alleg. 88. num. 16. Fragofo dicto c. 2. lib. 2. disp. 4. §. 2. num. 20. quod si concessit Archiepiscopus quadraginta dies indulgentiarum in perpetuum, nihil amplius potest ejus successor pro eadem causa concedere, quia reputantur unus Prælati.

CAPUT XVI.

Gregorius ^a nonus.

NE pro dilatione poenitentiae periculum immincat animarum, permittimus Episcopis, & aliis superioribus, nec non minoribus Prælati exemptis, ut etiam præter sui superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.

NOTÆ.

privil. Regul. tract. 3. cap. 3. propos. 8. Diana part. 10. tract. 16. resol. 76. Bard. in Bullam, part. 2. tract. 5. cap. 2. sect. 2. qui omnes rectè notant, privilegium hoc non esse revocatum per Tridentinum sess. 23. de reformatione, cap. 15. quia cum sit insertum in corpore juris, & ejus mentio specialis non fiat, non censetur derogatum: & varias illationes deducunt de Equitibus militaribus, & aliis personis exemptis.

I. ^a Gregorius IX. Qui presentem constitutionem edidit motu proprio in favorem Prælatorum, tam regularium, quam sæcularium: qui eum non possint facillè adire suos superiores, illis conceditur, ut possint sibi eligere confessarium. Quod privilegium latè illustant Fagundes in quinque præcepta, cap. 2. num. 15. Bruno Chassaing. in

TITULUS XXXIX.

De sententia excommunicationis.

CAPVT PRIMVM.

Alexander III. ^a Senon. Archiepiscopo.

Uper eo verò, quod consilium postulasti, utrum ^b Scholares, si se invicem in plena, vel minore ætate, clerici, vel religiosi viri in claustris secundum ^c canonem illum, quo statutum est, ut illi, qui in clericos violentas manus injiciunt, mittantur ad Apostolicam Sedem, pro sua absolutione debeant venire. Inquisitioni taliter respondemus, quod si clerici infra ^d puberes annos, se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Ap. Sedem mittendi: nec clerici si sunt plenæ ætatis, & non odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate ^e jocosa se ad invicem percutere contingat: nec Magister si scholarum clericum intuitu ^f disciplinæ, vel correctionis percusserit: quia non potest in ipsis injectio manuum violenta notari. Cæterum si ex odio iidem scholares, vel sæculares clerici sese percusserint, pro sua absolutione debent ad Ap. Sedem venire.

NOTÆ.